A Fabio jam ſene, filius illius conſul factus eſt: qui quum publicitùs multis audientibus habuiſſet orationem, Fabius conſcenſo equo procedebat. Quum autem juvenis lictorem miſiſſet, qui patrem juberet equo deſcendere, alii quidem factum hoc averſati ſunt, at Fabius ab equo deſiliens, non habita ætatis ratione, accurrit, ac filium complexus, Euge, inquit, fili, ſapis, qui intelligas, quibus imperes, & quàm magnum magiſtratum ſuſceperis. *Plut. in apoph.*

Titius Labienus Equiti ſtrenuo de præda Gallica aurum donavit. Id videns Scipio, dixit equiti: Habebis domum viri divitis. Hac voce audita, eques aurum ad pedes Labieni abjecit. Idem quum audiſſet Scipionem dicentem, Imperator te armillis argenteis donat: alacer gaudio obiit. Miles aurum contempſit, honorem amplexus eſt. *Eraſm. 6. apoph.*

M. Cato ajebat, populum Romanum non tantùm purpuræ, verùm etiam virtuti plurimum conducere. Quemadmodùm enim tinctores eum potiſſimùm colorem inducunt, quo vident homines maximè delectari: ita juventus ad ea ſtudia potiſſimùm incumbit, quibus populus defert honores. Honos enim non ſolùm alit artes, verùm etiam virtutem. Hoc pacto B monebat populum, ut magiſtratus his demum committeret, qui de ſe virtutis ſpecimen dediſſent: ita fieri, ut quamplurimi ſeſe ad egregia ſtudia conferrent. *Eraſ. lib. 6. apoph.* Idem. Qui virtutem honore ſuo fraudarent, eos dicebat ipſam virtutem à juventute auferre. Sentiens, præmiis animos juvenum ad virtutem accendi: quæ ſi detrahas, ipſa virtus elangueſcit. *Plut. in apoph.*

Socraticum Xenophontem in manibus ſemper habebat, cujus in primis laudabat illud, quòd diceret: Eoſdem labores non eſſe æquè grandes Imperatori ac militi, quòd ipſe honos laborem leviorem faceret Imperatori. *Cicer. lib. 3. Tuſcul. quæſt.*

Cicero ſibi propriè & ſolum honorem æſtimari dicebat, quem quis neque majorum commendatione, neque per alterius calamitatem aſſecutus ſit. *Cic. in Philippicis.*

Ageſilao quum nationes quæ id temporis Græciam incolebant, decreviſſent, in clariſſimis quibuſque civitatibus honoris cauſa ſtatuas erigi, reſcripſit illis hunc in modum: Mei nulla ſit imago, neque picta, neque ficta, neque ullo alio artificio parata. At principum vulgus hoc honoris genere ſe C Diis æquiparari credebat, ſummumque rerum bene geſtarum præmium arbitrabatur. Ageſilaus ipſo honeſto contentus, negligebat ejuſmodi adulationes, malens inſculpi prudentium ac bonorum hominum pectoribus, quàm in foro æreus aureuſve ſtare. Eximiam virtutem ſponte ſuum conſequitur decus. Nec ulla ſpecioſior ſtatua, quàm honorifica bene actæ vitæ memoria. *Plut. in apophth. Lacon.* Idem. Quum moraretur in portu qui Menelai dicitur, mandavit iis qui aderant, ne quam ſtatuam aut imaginem in ejus honorem erigerent. Si quod, inquit, præclarum facinus geſſi, hoc erit monumentum mei: ſin minùs, ne omnes quidem ſtatuæ, quum ſint vilium ac nullius rei opificum opera. *Plut. in Lacon. apoph.*

Thraſii quoniam intelligebant Ageſilaum de ipſis optimè meritum, templis ac divinis honoribus illum dignati ſunt: atque hac de re legatos ad illum miſerunt. Is ubi legiſſet honores, quos legati ad illum detulerant, percontatus eſt, num illorum patria poteſtatem haberet ex hominibus faciendi Deos? Quum illi reſpondiſſent, habere, Agedum, inquit, primùm vos ipſos Deos facite: id ſi præſtiteritis, tum vobis credam, quòd D me quoque Deum facere poteritis. Utrum hìc priùs admirari convenit? Animi celſitudinem, adeo contemnentis oblatum, ob quod Empedocles philoſophus ſemet in Ætnam conjecit, quoque tot eruditi principes tot artibus & impendiis ambierunt: an ingenii ſolertiam, qua Thraſiis vel ſummam ſtultitiam vel abjectam adulationem ſuam in oculos ingeſſit? *Plut. in apoph. Lac.*

Quidam quum in peregrinatione vidiſſet homines in ſellis curulibus ſedentes: Abſit, inquit, ut in talibus ſedeam ſellis, unde non liceat aſſurgere ſeniori. In his enim ſedebant delicati porrectis cruribus, ac cœlum imminens capiti prohibebat exſurgere. Apud Lacedæmonios verò ſcelus, juvenem non aſſurrexiſſe ſeni. *Plut. in Lac.*

Theopompo Pilii cum decreto ſtatuiſſent ſummos honores, ipſe renuit: Mediocres honores ipſum tempus augere, immodicos verò abolere, dicens. Quo apophthegmate, id quod alii ſibi aut vendicant arroganter, aut ambiunt ineptè, ipſe ultro delatum rejecit. *Plut. in Lac.*

Pyrrhus quum rebus feliciter geſtis domum rediiſſet, & à ſuis aquila diceretur: Per vos, inquit, aquila ſum. Qui enim E non eſſem, quum veſtris armis veluti pennis ſublever? Modeſtiſſimè glorioſi cognominis laudem in ſuos milites transferens, vitavit invidiam. *Plut. in Reg. & Imp. apoph.*

Alexander quum in bello crus ei eſſet ſagitta vulneratum multique accurrerent, qui ipſum frequenter Deum appellare conſueverant, exporrecta hilarique fronte ad Homeri carmen alludens dixit: Hic ſanguis eſt quem videtis, liquorque, qualis divis ſolet emanere beatis. Nimirùm irridens adulatorum vanitatem, cum ipſa res declaret ipſum nihil aliud eſſe, quàm hominem. *Plut. in apoph. Reg. & Impp.*

M. Varro Pauli collega, quoniam ex Cannenſi pugna, quæ Romanis fuerat infeliciſſima, ſuperfuit, honores à populo delatos recuſavit, dicens, felicioribus magiſtratibus opus eſſe Reip. Quum animum gereret inculpatum, fortunæ ſuæ Reipubl. ultro pœnas dare voluit, vir ob hoc ipſum ſummis dignus honoribus. *Eraſm. lib. 6. apoph. ex Plut.*

Pompejus, quum in Libyam adversùs Domitium tranſiſſet, eumque ingenti prælio ſuperaſſet, militibus ipſum Imperatoris titulo conſalutantibus, negavit ſe eum honorem admiſſurum, quamdiu hoſtium vallum ſtaret erectum. Hoc audito, milites, licèt ingens obſtaret pluvia, impetu facto, hoſtium caſtra adorti expugnaverunt. Recuſavit honorem, nondum F factis emeritum. *Plut. in apoph.*

Julius Cæſar populo per adulationem Regem ipſum ſalutanti: Cæſar, inquit, ſum, non rex. Maluit privatum nomen, quàm regium invidiæ obnoxium. *Eraſm. lib. 4. apoph. Plut. in vita Cæſaris.*

M. Antonius quum Rhodum inſulam vi cepiſſet, & in ingreſſu ſalutaretur rex atque dominus: Non rex ſum, inquit, nec dominus, ſed regis ac domini interfector. *Plut. in Anton.*

Tiberius cuidam, à quo fuerat dominus appellatus, denuntiavit, ne ſe ampliùs contumeliæ cauſa nominaret. Quanta modeſtia in tanto principe? Nunc quidam nihil audire poſſunt, niſi ſacras majeſtates, gratioſas celſitudines, & reverendiſſimas dominationes. *Eraſm. lib. 6. apoph.*

Maximus Senior Cæſar, nunquam ad oſcula pedum quenquam admiſit, dicens: Dii prohibeant, ut quiſquam ingenuorum pedibus meis oſcula figat. *Capitolin.*

Alexander Severus, Imperator creatus, quum vix 16. ann natus eſſet, ob virtutes eximias titulis magnificis è ſenatu decoratus, nunquam in animum induxit, ut ſe Magnum, & Patrem patriæ cognominari pateretur: Oportet enim, ajebat, ut G res geſtæ maturiorque ætas ea nomina pararent. *Lamprid. & Fulgoſ. lib. 4.*

Christianorum.

Ex lucubrationibus Laur. Beyerl. in Apophthegmat. Chriſtianis. Tit. Honor.

Virtutem velut umbra ſequitur Honor: cujus proinde appetitus, ſi moderationis fines non tranſilit, reprehenſione caret. Habuiſſe eum quemdam Abbatem de Baigne, meminit *Corrozotus in ſuis Memorab.* à quo cum Ludovic. IX. peteret, Abbatia cederet; ſubtiliter & modeſtè, Quadraginta, inquiebat, annis vacavi, ut priores alphabeti litteras A B addiſcerem: at jam totidem requiro, ut ſubſequentes C D ediſcam. Significabat autem, ſe demùm poſt annum ſuæ profeſſionis quadrageſimum in Abbatem electum, & velle annis totidem eodem munere perfungi, priuſquam cederet. H

Eſſe autem unicam ad Honores viam, Virtutem, hoc modo declarabat Alphonſus Rex Arag. Suadenti enim ſibi cuidam familiari, tranquillè dum poſſet & ſecurè vivere, neque ſe tot tantiſque periculis objectaret, reſpondiſſe fertur: Non temerè ab Romanis, & iis quidem ſapientibus, Honoris templo Virtutis fanum conjunctum eſt: ut in id nemini, niſi per illud, tranſitus pateret. Non itaque per voluptatem & otium;

—— ſed ſemita certè
Tranquillæ per virtutem patet unica vitæ.

Panorm. lib. 1. de Geſt. ejuſd.

Idem interrogatus, quid honor eſſet ſine utilitate: Perinde, reſpondit, ac ſi peracutùm cernas, ſed offenſus caligine in tenebris oberres. Anne fortaſſis innuere volebat illud Poetæ,

—— Virtus ſine cenſu languet ubique?

Panorm. lib. 2.

Ludovicus XII. Gall. Rex. ☞ *Vide Apophtheg. de Manſuetudine, &c.*

Quàm verò apud quoſdam illud obtineat, Honores mutant mores, at rarò meliores, docet is quem ſubnectimus. Erat filius Car-

A Carbonarii, homo humili loco natus, qui populi ſui ſuffragiis in Regem deligitur: quo audito, pater accurrit lætus, natumque ſplendore regio conſpicatus, cùm ſe ab illo non videri exiſtimaret: An, ait, me cognoſcis fili? cui ille, Quid, inquit, pater, ego meipſum non cognoſco, & quomodo te agnoſcam? *Gotſcal. Serm. 17. Part. æſtivalis, litt. C.*

Aliud inſuper adjiciam. Dum electus eſſet in Archiepiſcop. Toloſanum Franciſcus Simenez, amico, quem ſummum habebat, felicem ſuarum rerum ſucceſſum nuntiavit. Cui ille: De ſucceſſu, reſpondit, qui tibi ex animo evenit, gaudeo plurimùm, & ſimul non parùm doleo, me amicum non amiſiſſe: reſpiciebat namque ad vulgatum illud, Honores mutant mores. Hinc laudatur illud Poetæ:

Naturæ celas vitia, es dum pauper: at illa
Imperium nactus conſpicienda dabis.

Floreſta.

APOPHTHEGMATA ET EXEMPLA Christianorum.

B *Qui honorem collatum reſpuerunt. Ex eodem.*

Claro illuceſcente Sole, minor umbra corpori comes: ita, quò plures quibuſdam virtutum radii, eò minorem honorum umbram ſibi comitem deſiderant, in ſolum virtutum omnium largitorem Deum, quidquid eſt honoris & gloriæ, referentes. Præſtolabatur Cornelius vir juſtus B. Petrum ad ſe accerſitum, eique obvius factus, ad pedes proceſſit & adoravit. At Petrus eo ſe honore reputans indignum, eumque manu elevans, dixit: Surge, & ipſe homo ſum. *Act. c. 10.*

Hunc etiam honoris titulique contemptum in Epiſcopo Hiberniæ S. Malachia habemus, qui vocatus & compulſus ad onus Archiepiſcopale, omnibus, quibus potuit modis, renuit. Anathema verò, ni pareat, minitantibus: tandem acceptavit, dicens, Ad mortem me ducitis, ſed obedio ſpe martyrii. O virum inſignem! nec honorem affectantem, neque mortem pro Chriſto formidantem. *Sur. tom. 6. in vita.*

Et quid verus pauperum & humilitatis pater Franciſcus? Rogatus à domino Hoſtienſi (qui ordinis ejuſdem protector, ac poſtmodùm ſub nomine Greg. IX. Pontificatum adminiſtravit) utrum ſuos fratres etiam ad Eccleſiaſticas dignitates C vellet promoveri: dignam Franciſco vocem reſpondit: Minores ideò vocati ſunt fratres mei, ne majores fieri præſumant. *Sur. tom. 5. in vita.*

S. Antonius Eremita frequentibus literis à Conſtantino Imperatore vocatus, venire recuſavit, ne majori honorum pondere gravaretur: dicebat autem: Si quidem ad Imperatorem venero, Antonius ero: ſin minùs, Abbas Antonius. *Niceph. Calliſt. lib. 8. Eccl. hiſt. c. 40.*

Memorabilis etiam Franciſci Borgiæ è Soc. Jeſu contra omnes honorum inſultus conſtantia: abdicato quippe illuſtri Ducatu, mundique pompa pro nihilo habita, ſæpiùs oblatum Cardinalatus honorem recuſavit; dicebat autem: Deum precatus ſum, ut mihi à vita priùs abire liceat, quàm titulis iterum boniſque oneraret invitus. Erat tamen ille, cujus, ſi ullius alterius, virtuti meritiſſimus debebatur honos. Quàm benè & verè *Boet.*

Quid dignum ſtolidis mentibus imprecer?
Opes, honores, ambiant,
Ut cum falſa gravi mole paraverint,
Tum vera cognoſcant bona.

D *Ribaden. in vita, lib. 2. c. 3.*

Venerant ad viſendum eum officii cauſa Dynaſtæ, cumque ſpecioſis nimiùm titulus uterentur, tædio affectus, rogabat, titulis temperarent; Ne, inquiens, Deo exprobraſſe videamini, quòd in me eximium vocationis beneficium contulerit, neve pluris facere videar, quæ abjeci, quàm quæ aſſumpſi. *Idem c. 8. lib. 2.*

Ulyſſiponam ingreſſum, Joann. III. Rex miſit, qui ſalutaret. Hic cum, feſſuſne de via eſſet, interrogaret; & (Domini) nomen iterùm atque iterùm repeteret: Franciſcus lepidè reſpondit: Feſſus quidem ſum de via: ſed magis (Domini) qua me oneras potiùs, quàm honoras, appellatione. *Idem lib. 4. c. 1.*

Claudat hunc ordinem Benivolus quæſtor. Vocabat eum Juſtina Valentiniani mater, religione Arriana, & mandabat legem contra Catholicos promulgaret, id recuſantem majoribus cingulis invitat. Ille verò ſe diſcingens, baltheum ante pedes Auguſtæ projecit, dixitque: Neque hunc honorem, neque majorem expeto pro impietatis mercede. *Tripart. hiſt. lib. 9. c. 20.* Conſtantinus Magnus: ☞ *Vide Tit. de laude contempta.*

E ☞ *Conſulatur de hoc argumento etiam Titulus de Gloria. Ubi multa de contemptu gloriæ, honoris, laudis, &c.*

Et quis Godofredum Bullionem Hieroſolymorum Regem pro merito laudaverit? Erant ejus conſilio & armis expugnatæ Solymæ: unde Chriſtiani principes, ſuis humeris ſubvectum, uno ore Regem proclamarunt. Hic verò regni titulum rogatus non abnuit, auream autem coronam ſuo capiti ſuperimponi omninò noluit, dicens: Indignum eſt, aureo illic diademate hominem uti, ubi Rex regum Chriſtus pro hominum ſalute ſpineam portavit. *Platina in vita Paſchalis II. Pont.*

Neque in Carolo Martello Brab. Duce ullum incrementum habuit regni titulique libido. Nam cum in Regem Franciæ poſt mortem Chilperici expeteretur, renuit, inquiens: Imperare Regibus, quàm Rex eſſe malo. Unde hoc ejus tumulo Epitaphium aſcriptum:

Ille Brabantinus Dux primus in orbe triumphat,
Malleus in mundo ſpecialis Chriſticolarum,
Dux Dominuſque Ducum, Regum quoque Rex fore ſprevit,
Non vult regnare, ſed Regibus imperitare.

Barland. in Duc. Brabant. pag. 16.

Eſt hìc etiam illuſtris Carolus Magnus, ut qui deletis Saxonibus, & finitimis populis debellatis, cum admodùm metuerent, ne tandem Imperator factus, ſe de illis totaque gente vin- F dicaret, ad eum proſtrati veniunt, ſeque obſequio ſuo lubentes devovent: quibus ille in brachia acceptis: Nolo, inquit, vos mihi ſervire, ſed Deo. Vera Chriſtiani Principis vox. *Sab. Munſt. lib. 9. Coſmog. c. 19.*

Non minoris animi Vvenceslaus Bohemiæ Rex. Rudolpho Auſtrio vita functo, illi Romanum deferebatur Imperium, ſed qua virtute promeruit, eadem modeſtia recuſavit, aſſerens: Satis ſuperque mihi laboris eſt, paternam ditionem æquis legibus gubernare: extremis libens abſtineo, eiſque me dignioribus cedo. *Munſt. de German. lib. 3. c. 499.*

Jovinianus Imp. ☞ *Require, Imperium ejuſque adminiſtratio.*

Non parum etiam laudis meritus eſt Franciſcus Sfortia, Dux Mediol. cum Mediolanenſium & totius penè Lombardiæ parto imperio, urbem Mediolanum eſſet initurus: præparatum enim ſibi cum triumphali honore auratum currum conſcendere detrectavit, dicens: Ejuſmodi ornamenta Imperatoriæ majeſtati debentur. Quo facto, victoria illa, quæ rara erat; & G hoſtes, & inſolentis animi affectus, qui plerunque victoriam comitantur, ſuperavit. *Fulgoſ. lib. 2.*

* Hieroglyphica.

Sciendum, *haſtæ* geſtamen haudquaquam inter vulgares honores habitum, tantæque apud veteres venerationis fuiſſe, ut loco diadematis, pro inſigni regio haberetur. *Pier. Valer. lib. 42.*

Clypeis, quibus nomen incidi, deſcribive facta pulchra moris fuit: (unde qui nihil adhuc ſtrenuè in bello geſſiſſent, *alba* utebantur *parma*; de quo Virgil. *Palmaque inglorius alba*) donabantur ab Imperatoribus honoris ergo Milites, atque etiam Dii: quare ſæpiùs apud Livium legas, argentea Clypea templis illata, ac Diis dicata. *Pier. Val. lib. 42.*

☞ *Vide etiam titulum Gloriæ. Item Dignitas, Fama, Laus.*

---

* Hora.

DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

H Ora uſitatè & communiter accipitur pro vigeſima quarta parte diei naturalis: ὥρα habet LXX. Interp. variis locis Scripturæ, verùm videntur accipere pro tempore vel momento, ſive eo tempore quo oculum ad intuendum aperimus. Alioquin etiam pro parte Anni uſurpatur: ſic ut Ver, Æſtas, Autumnus, Hyems, quatuor horæ appellentur Anni apud varios. At prior ſignificatio notiſſima. Veteres Solem ὧρον, ſive Horum dixerunt. Ex quo ait *Macrobrius lib. 1. Saturn. c. 21.* Ex eo horæ XXIV. quibus dies noxque conficiuntur, nomen acceperunt. H

HORARUM USUS. Quando Coeperit.

Horarum diſtinctionem ſive dimenſionem veteribus nec uſitatam, imò nec cognitam fuiſſe, conſtat. Ut cujus rei nec *Ariſtoteles*, nec *Plato*, nec quiſquam æqualium temporum meminerunt. Unde mirum non eſt, vocem ὥρα in hac notatione non reperiri: neque illius mentionem fecit Pollux, dum libro primo voces recenſet, quibus diei noctiſque partes ſignificantur.

Heſy-

A *Heſychius* tradit, veteres pedibus umbras dimenſos, diem diviſiſſe. Unde & tempus cœnæ modò hac, modò illa pedum dimenſione deſignabant. Decem pedum ϛοιχεῖς multi meminerunt: eratque ea hora corpori curando opportuna. *Pollux lib.6.c.8.* idem affirmat. An autem dicendum, nondum inventum tunc gnomonem, vel horologia? *Vide infra.*

A Græcis inventam volunt alii diei in horas XXIV. partitionem, qui proinde diei noctiſque artificialis ſpatium ἡμερονύκτιον vocabant, & teſte *Baſil.*24. horis definiebant. A Græcis Romani, ab his Judæi id acceperunt. Cum autem primùm illuceſceret, primam diei horam vocabant: extremam verò duodecimam. Verùm cum diem & noctem XII. horis circumſcriberent, neceſſe eſt pro illarum productione vel contractione, etiam horas non fuiſſe æquales. *Martialis* diurnarum horarum munia hoc Epigrammate expreſſit, omiſſis duabus poſtremis:

Prima ſalutantes, atque altera continet hora:
Exercet raucos tertia cauſidicos.
In quintam varios extendit Roma labores,
Sexta quies laſſis, ſeptima finis erit.
B *Sufficit in nonam nitidis octava palæſtris,*
Imperat exſtructos frangere nona choros.
Hora libellorum decima eſt, Eupheme, meorum,
Temperat ambroſias cum tua cura dapes.
Et bonus æthereo laxatur tempore Cæſar,
Ingentique tenet pocula parva manu.
Tunc admitte locos, greſſu timet ire licenti
Ad matutinum noſtra Thaleja Jovem.

Varias horarum ſupputationes. ☞ *Pete ex loco de Tempore. Tempus conſideratum ut inſtrumentum numerans.*

HORÆ CANONICÆ.

☞ *Vide locum de Canonicis, & Oratione.*

---

* Horologium.

DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

HOrologium vox Græca, ſignificat inſtrumentum ſive machinam horas indicantem ſive diſtinguentem, fortaſſis ab ὥρα & λόγος, quòd eſſet velut vox & index horarum. Hinc Athenæ ὡρολογητὴς dicebatur, qui mercede horas nun-
C tiabat.

ILLIUS ANTIQUITAS, USUS, ORIGO.

Veteribus ignoratus fuit horologiorum uſus, ſed diei tempus ex umbra in foro aut in loco patente conjiciebant. Paraſiti horam cœnæ exactè curabant obſervare, & nuntiare, quia menſis inhiabant potentiorum. Imò in ædibus magnatum, uni ſervorum commiſſum olim horas nuntiare.

Plinius lib.2.c.76. ait, Umbrarum rationem quam Gnomonicen appellant, inveniſſe Anaximenem Mileſium Anaximandri diſcipulum, ac primum hunc horologium ſciotericum Lacedæmoniis demonſtraſſe. Verùm multum erat, cum Achaz pater Ezechiæ diu ante illud conſtruxerit. Vixit enim ſub primam Olympiadem ducentis annis ante Anaximenem. Eſtque iſtud horologium Achaz primum, cujus meminerunt tum ſacri cum profani ſcriptores.

Quarè primam horologiorum inventionem tribuendam cum Joſepho ſentio primis illis Patriarchis, eamque ſenſim ad Ægyptios & ab his ad Græcos & ab illis ad Latinos devolutam eſſe. Vide *Clavium lib.1. Gnomon. pag.7.*

Latinos certè ſeriùs horologia habuiſſe, *Plinius* fatetur *lib.*
D *7. c.60.* Principes, ait, Romanos ſolarium horologium ſtatuiſſe, ante 12. annos quàm cum Pyrrho bellatum eſt, ad ædem Quirini. Fuit autem hoc ſub primum bellum Punicum.

UMBRÆ SOLARIS SYMBOLUM.

Umbræ hujus qua horas metimur in horologium, ſymbolum eſt currentis & inſtabilis ævi. Eſt enim Umbra circa Solis ortum & occaſum maxima, circa conſiſtentiam & vigorem minima: ſic etiam quidquid in rebus humanis reperitur. Voluit certè Deus in umbra humani corporis, naſi ac digitorum, brevis ævi nos meminiſſe & quaſi naturale in nobis exſtare horologium, quod hominem doceret vigilare, cum ignoret, qua hora Dominus venturus ſit. Scitum eſt illud:

Si tuus ad ſolem ſtatuatur naſus, hiante
Ore, tuis diſces dentibus hora quota eſt.

HOROLOGIORUM OPIFICES.

Quære nonnulla in loco de Opificibus. Tit. eorum qui organa conficiunt ſenſibus inſervientia. §. Auditus horæ, campanæ.

Horologiorum pręſtantiſſimos opifices habuit olim Germania, quod vel ex uno Argentoratenſi horologio toto orbe celeberrimo convincitur. Ut in quo non ſolùm horarum ſpatia E infallibili menſura notantur, ſed inſuper cœlorum ſiderumque motus, Lunæ quoque ortus & occaſus, ac ſolaris per Zodiacum diſcurſus, haud ſecùs ac in firmamento aliquo, ad oculum & ſolidè proponuntur.

EORUM DISTINCTIO.

Diſtinguuntur horologia in Campanaria, Solaria, & Aquaria, vel Arenaria, quæ Clepſydras vocamus, prout variè horarum ſpatia diſtinguuntur, & indicantur; quamvis propriè pro Campanariis uſurpetur horologiorum nomen.

CAMPANARIA.

Fuit Venetiis quidam Jacobus, Architectus & faber ferrarius, qui in civitate Patavina, miræ pulchritudinis horologium fabricavit, atque in eo totius cœli curſum, æſtuariis exhauriendis, fluminibuſque regendis idoneum & utilem, expreſſit, ſub annum M. D. XX. In cujus rei memoriam defuncto tumulum è publico ære erexerunt. F

Uratiſlaviæ quoque perelegans memoratur horologium, publico ære exſtructum anno M. D. XVII. cui adſcripti leguntur hi verſus:

Aſpice quàm celeri curſu levis effugit hora,
Lubrica nec vitæ tempora perde tuæ.
Diffugiunt anni celeres, lethumque minantur,
Mortuus ut poſſis vivere, vive benè.

Inter alia admiranda quæ Venetorum urbs conſpicienda proponit, auguſtiſſimum eſt forum, quod locum S. Marci appellant: in quo præter ſtupendas ædificiorum moles, templumque celeberrimum, horologium elegantiſſimum ſe oſtentat, quod non modò horarum ſpatia, ſed & cœli, ac planetarum motus diſtinguit. Inſuper quotieſcunque horam pulſu campana edicit, tres ſtatuæ magorum, qui ab Oriente Chriſtum adoraturi advenerant, ab uno latere ad aliud progrediuntur, & Deiparæ virgini cum puero Jeſu ibidem fabricatæ, tranſeuntes profundam exhibent reverentiam, ſumma exterorum omnium admiratione & plauſu.

Et quamvis Germaniæ horologiorum primam fabricam debeamus, non eſt tamen quòd illi cedant Belgæ, apud quos paſ- G ſim inſignia horologiorum opificia videre eſt, in quibus magna arte campanæ tonos Muſicales exprimentes, certiſque ſuis menſuris diſpoſitæ, hymnos ſacros aut rhythmos Eccleſiaſticos præcinentes, jucundam auribus melodiam omnibus numeris abſolutam ingerunt, priuſquàm majoris campanæ ſonus horam indicet. Præcentum illum Belgæ præludium appellant, habetque ſuum uſum, quòd hac ratione attentiores redduntur ad percipiendam horæ ſonantis certitudinem. Extra Belgium aut nullus, aut infrequens hujuſce rei uſus. Excellit autem præ cęteris illud quod in Civitate Mechlinienſi auditur, ut quod jucunda modulatione audientes reficit, & velut organi concentum auribus infert. Proximum huic opere & arte, Antverpienſe in Cathedralis Eccleſiæ eximia turri, & Bruxellenſe in æde D. Nicolai. Etiam nuper Middelburgenſes in Zelandia admodùm inſigne & elaboratum reliquis ſuæ urbis ornamentis addidere.

Henricus Ranzovius, vir illuſtris, & Daniæ Regis vicarius, Bredenbergam Cimbriæ urbem & arcem inſigni quoque horologio exornavit, veteri deſtructo, eique hos verſus inſcripſit, artis indices. H

Hoc opus æquales ſpatiis diſtantibus horas,
Lapſaque ſub terras, ortaque ſigna docet.
Quæ mediam cœli labentia ſidera, & imam
Obtineant verſo cardine ſigna domum.
Lunaque quo Phœbo jungatur tempore monſtrat,
Oppoſitum teneat lunaque quando locum.

SOLARIA.

Inſtrumenta in quibus horæ ad ſolem conſpiciuntur, verulo vel pinnula umbram faciente, Solaria dicuntur.

Primus Solarium in foro Romano conſtituit Lucius Papyrius Curſor ad ædem Quirini, duodecim annis antequam cum Pyrrho bellatum eſt. Nam priùs tantùm ortus & occaſus ſolis nominabantur, poſt aliquot annos adjecto meridie.

Henricus Ranzovius Solarium elegans in arce ſua Bambergenſi erexit, cui & hos verſus adſcripſit:

Hic tibi cum numero ſpectantur nodus & umbra,
Quæ tria quid doceant, commemorare libet.

Vmbra

A *Vmbra notat dextrè, quota curſitet hora diei,*
Hincque notat vitam ſic properare tuam.
Aſt in quo ſigno magni lux publica mundi
Verſetur, mira modulus arte docet.
Si vis ſcire, dies quot quilibet occupet horas,
Id numerus media ſede locatus habet.

Confecit inſuper aliud in latere obeliſci, quem propè Itzehoam in Cimbria, Friderico & nonnullis Daniæ Regibus erexit, cui hic verſus ſubjicitur:

Vmbra horas Phœbi deſignat climate noſtro:
Nodus, quod ſignum ſol tenet, arte docet.

CLEPSYDRÆ.

Quæ & Horologia arenaria, & aquaria.

Sunt & vaſa quædam vitrea, quæ æqualibus dimenſionibus horas diſtinguunt, immiſſa aqua vel arena, quæ per medium foramen lentè decidant, & guttatim vel ſenſim delabantur. Primus autem eorum uſus fuit per aquæ defluxum: unde & nomen accepit. Nam Clepſydra dicitur ab aquæ furto, quòd aquam aut celet, aut furetur: meminit Clepſydræ. *Mart. lib.6.*

B *Septem clepſydras magna tibi voce petebant,*
Arbiter invitus Cæciliane dedit.

Apud veteres Oratoribus acturis cauſas forenſes præſcribatur tempus dicendi datis clepſydris; quibus finitis, vel decurſis, ultra loqui vetabantur. *Plinius in epiſtolis,* Dixeram, ait, horis quinque, nam tribus clepſydris, quas ſpatioſiſſimè acceperam ſunt additæ quatuor. Atque etiam hodie uſus obtinet, ut concionatores ad clepſydram prædicent, apud Catholicos: quos reprehendunt Hæretici, & horarios ob id vocant.

HOROLOGIORUM USUS ET DISTINCTIO APUD SINENSES.

Horis metiendis Sinenſes vix habent inſtrumenta: quæ habent, vel aqua vel igne menſurantur. Aquea ſunt velut ingentes clepſydræ: Ignea ex odorifero cinere confecta, tormentorum noſtrorum fomites imitantur. Pauca etiam alia conficiunt rotulis ab arena velut aqua circumactis, ſed omnia ad noſtratia artificia, ſunt umbra: & ferè multùm peccant in metiendi temporis ſymmetria. E ſciotericis ſolum norunt illud, quod ab æquatore nomen accepit; ſed neque illud pro ratione locorum didicerant collocare. *Matth. Rycius in Hiſtoria Sinarum*
C *lib.1.*

DE HOROLOGIO ACHAZ.

Nonnulla ſingularia.

Ac primùm de Vmbræ Retroceſſione, quæ in ſignum fuit Regi Ezechiæ. Iſa. 38.

EZECHIA ægrotante, mittitur Iſajas à Deo, qui ei promitteret incolumitatem, & annos 15. vitæ. Atque in illius promiſſi firmitatem hoc ſignum ei exhibet: Ecce reverti faciam umbram in horologio Achaz retrorſum decem lineis. Et reverſus eſt ſol decem lineis per gradus, per quos deſcenderat. Circa quod ſignum communis interpretum ſententia eſt, non umbram tantùm, ſed & ſolem retrogreſſum, & retrotractum. Hoc enim verba Iſajæ indicant, & ſimul convicit Hiſtoria *Paralip. lib.1. c.32. & 31.* ubi dicitur, Babylonios miſiſſe ad Ezechiam nuntios, qui inquirerent de portento quod acciderat, quod erat retrogreſſio Solis, quam illi etiam apud ſe viderant. Alioquin naturalem umbræ retroceſſionem facilè foret inducere, ſi ita conficiantur horologia plana, ut poli altitudinem habeant minorem, quàm graduum 23. & medii. Vide *Clavium in Fabrica Inſtrum. ad horologia c.21.*

D Siquidem ratione poſitionis loci, certique reſpectus Solis, fieri poteſt, ut umbra nunc Sole progrediente progredi, nunc ſe gyrante regredi videatur. Verùm retrogreſſio illa miraculoſa fuit, & à Deo in ſignum adhibita.

Secundò, retrogreſſio hæc fuit quinque horarum, duabus lineis unam horam notantibus. Eamque vidit eo die Ezechias. Sic ut hic dies fuerit longior aliis quinque horis. Quamvis alii exiſtiment, quòd decem. Atque hanc retrogreſſionem celeri motu factam arbitrantur probabiliter, idque ſub horam diei meridianam: quia tunc ſolùm poterat umbra aſcendere vel deſcendere decem gradibus, id eſt quinque horis: Sole autem retrocedente, omnes reliqui orbes retroceſſerunt, alioquin tota harmonia cœleſtis eſſet turbata, fuiſſetque opus majori miraculo. Cauſam verò hujus ſigni, tam literalem quàm myſticam, tropologicam, moralem, & Allegoricam, videat Lector apud *Cornel. à Lapide, commentario in illum locum Iſajæ.*

Hortus.

DEFINITIO ET ETYMOLOGIA. E

HOrtus, eſt locus munitus plerũque & ſeptus ad olera producenda, fructuſque arborum, voluptatis gratia comparatus. Valla tamen hortos numero plurali accipit pro viridariis amœnis, & voluptatis gratia præparatis. In numero ſingulari pro horto olitorio. *Iſidor. l.17. c.16.* dictum vult ab ortu, quòd ibi ſemper aliquid oriatur, Κῆπος Græcè. Sed Antiqui hortum pro omni villa uſurpabant. Fortè nomen ſuum ab ἑρκτὸ deſumit, quod eſt munitus, fortis; ſolent enim horti muro aut ſepe muniri. Unde nonnulli ὄρχον hortũ appellant ab ἔργειν, munio.

HORTORUM CURA. STUDIUM.

☞ *Pete ex loco de operis Mechanicis. Tit. Circa hortos.*

Hortos accipimus pro locis ad amœnitatem gratamque voluptatem comparatis, in quibus arbores & olera oriuntur: flores quoque & pergulæ ac topiaria ad delectatiônem facta: areolæ etiam & pulvilli ordine diſpoſiti. Horum cultura & ſtudium perantiquum fuit, imò cum orbe natum.

DEUS plantavit ab initio Paradiſum voluptatis, quem omnibus deliciis inſtruxerat, & arboribus herbiſque adornarat. *Gen. c.2.* In quo poſuit hominem à ſe creatum, ut operaretur & cu- F ſtodiret illum, ibique operatione delicioſa, non laborioſa, ut exponit S. Chryſoſt. neque enim defatigatus fuiſſet homo in illo ſtatu, ſed otium duntaxat honeſto & delicioſo negotio effugiſſet.

Celebrantur apud Poetas horti Alcinoi, & Adonidis: Item Tantali, & Heſperidum.

CYRUS Rex hac voluptate adeò recreabatur, ut & manibus ſuis plantaria inſtituerit.

De Aſſuero Rege memorant ſacræ litteræ, quòd ſurrexerit è loco convivii, & intraverit hortum nemoribus conſitum. *Eſt. c.6.*

SUSANNA quoque uxor Joachim ambulaſſe ſcribitur in pomario viri ſui. *Dan. c.13.*

Etiam ad radicem montis Oliveti erat hortus, in quem Chriſtus ſecedere conſueverat, & in quo Judas eùm tradidit. *Mat. cap.17.*

Hortos penſiles Babyloniorum à Semiramide exſtructos, refert *Q. Curtius in Hiſt. Alex. Mag.*

MASSINISSA Ægyptiorum regina, non cultum duntaxat, ſed G & luxum in hac hortorum voluptate exhibuit.

Tarquinium Regẽ in hortis molliter ambulantem, & ſumma papavera reſecantem introducit *T. Livius, Svet.* & alii.

CATO Cenſorius rei hortenſi ita deditus erat, ut & de ea ſeriò ſcribat.

Poſt Aſiaticam victoriam Lucullum in hortis otiatum, Annales prodidere.

L. SYLLA quoque abjecta dictatura, reliquum vitæ in iiſdem exegit.

DIOCLETIANUS olera ſua & lactucas ad Salonam, prætulit purpuræ & ſceptro. *Ex Iuſto Lipſio lib.2. de Conſtantia. Vbi multa eleganter in laudem hortorum.*

Idem mirificè ibid. extollit hortum Caroli Langii, ab amœnitate, cultu, plantis, floribus, pulvillis, pergulis, nitore, *c.1. & 2.*

USUS, ET FINIS VARIUS. ERUDITIO.

Hortenſis ſtudii non unus omnium finis, nec una hortorum voluptas eſt. Quamvis enim ad hoc potiſſimùm inſtituti videantur, ut ſubindè à ſerioribus mens ferietur, & velut delicioſo otio reficiatur, dum curis nonnihil remiſſis, gratuita naturæ munera admiratur, varioſque illius luſus & figuras in tanta ſtir- H pium varietate ſtupet, in tanta colorum & odorum amœnitate laudat: Unde & opificem ipſum veluti ex libro quodam beneficæ naturæ agnoſcit, & ad eum amandum exemplo magni Auguſtini ſuaviter impellitur: Nihilominùs hanc voluptatem plerique alia & alia ſuavitate condiunt, ut qui non modi reficiendi corporis animique relaxandi cauſa hortos ſubeunt, concinant, colunt: ſed & id agunt potiſſimùm, ut Herbarum vires, qualitates, ac genera penitùs cognoſcantur. In quem finem peregrinas ſtirpes, ſeminaque ſub alio ſole nata: magna ſolicitudine conquirunt, fovent, nutriunt.

Qua in re numquam ſatis pro merito laudanda eſt Venetorum Reſpublica, quæ Patavii magno ære ſtudioque hortum medicum excolit, in quo exotica quævis & peregrina toto orbe advecta, non ſolùm, ſed & cætera officinis Pharmacopœorum uſitata florum, herbarumque diſcrimina, medicinæ operam navantes videant, excutiant, diſtinguant: addito excellenti aliquo viro qui ſub annuo eoque opimo ſalario pręſideat culturæ, & inſtruat adventantes, ac ſingulorum rationem reddat; magno ſanè Reipublicæ, & Academiæ iſtius ornamento. Legęs horti in veſtibulo hac forma leguntur.

A *Portam hanc Decumanam ne pulſato ante diem Marci Euangeliſtæ, nec ante horam 22.*

Per Decumanam ingreſſus, extra Decumanam ne declinato.

In Viridario ſcapum ne confringito, neve florem decerpito, nec ſemen fructumve ſuſtollito, radicem ne effodito.

Stirpem puſillam ſuccreſcentemque ne attrectato, neve areolas conculcato.

Viridarii injuria ne afficiuntor.

Nihil invito Præfecto attentato.

Qui ſecùs ſanxit, ære, carcere, exilio multator.

Edidit nuper ſchema præſtantiſſimi hujus horti Medici, unà cum omnibus fructibus, herbis, plantis, floribus, indiculo per ordinem Alphabeticum digeſto, *Ioannes Georg. Schenckius*. Item Synonyma plantarum ea rundem evulgavit *Melchior Guilandinus Boruſſus*, ejuſdem horti Præfectus.

B Ordines Hollandię excitati ſtudio hujus Venetorum Reipublicæ, conſimilem hortum plantarunt Lugduni Batavorum, in gratiam eorũ qui ibidem medicinæ operam impendunt. Suntque in eo plantæ undique petitæ, quæ ſub Præfecto viro inſigni, & è publico ſuſtentato, diriguntur, & adventantibus certa hora, explicantur ſecundùm vires & qualitates uniuſcujuſque.

Neapoli horti ſunt amœniſſimi contigui Palatio proregis, quorum finem & uſum inſcriptio adjuncta docet.

Bernardinus Rota hortos Muſis dedicavit, ratus eas hilari hujuſce cœli poſitione allicere, atque ita amicas fore. Anno M. D. LV.

Quin eleganter Juſtus Lypſius de hortis differens, Vide, inquit, veteres illos Sapientes? In hortis habitarunt. Eruditas hodie doctaſque animas Horti delectant. Et in iis divina illa pleraque ſcripta procuſa, quæ miramur, quæque nulla temporum ſeries aut ſenectus abolebit. Viridi illi Lycæo tot de natura diſſertiones debemus: umbriferæ Academiæ de moribus. Et ex hortorum ſpatiis diffuſi uberes illi Sapientiæ rivi quos bibimus, &c. *lib.2. de conſtantia. c.3.*

Otium. Secessio. Voluntas.

Item Lipſius hunc hortorum finem agnoſcit quoque, dum eos modeſtæ voluptati gratos, non vanitati: quieti, non torpori ſentit, & ad ſalubrem quendam ſeceſſum à curis atque turbis.

C Exempla habes in ſuperioribus de Cyro, Aſſuero, Tarquinio, Catone, Sulla, & alii. Porrò non unam hortorum voluptatem Jovinianus deſcribit:

Adeſte Muſæ, maximi proles Iovis.
Laudes feracis prædicemus hortuli.
Hortus ſalubres corpori præbet cibos:
Varioſque cultus ſæpè cultori refert:
Olus ſuave, multiplex herbæ genus:
Vvas nitentes atque fœtus arborum.
Non deſit hortis & voluptas maxima,
Multiſque miſta commodis jucunditas.
Aquæ ſtrepentis vitreus lambit liquor:
Sulcoque ductus irrigat rivus ſata:
Flores niteſcunt diſcolore gramine,
Pinguntque terras gemmeis honoribus.
Apes ſuſurro murmurant grata levi,
Cum ſumma florum, vel novos rores legunt.
Fœcunda vitis conjuges ulmos gravat,
Textaſve inumbrat pampinis arundines.
Opaca præbent arbores umbracula,
Prohibentque denſis fervidum ſolem comis.
Aves canoros garrulæ fundunt ſonos,
D *Et ſemper aures cantibus mulcent ſuis.*
Oblectat hortus, advocat, paſcit, tenet,
Animoque mœſto demit angores graves.
Membris vigorem reddit, & viſum capit.
Refert labori planiorem gratiam.
Tribuit colenti multiforme gaudium.

Inſcriptio hortorum antiqui Palatii proregii Neapoli, hæc etiam docet: Talem enim legimus: Alphonſus Ferdinandi Regis F. Arragonius Dux Calabriæ, Genio domum hanc cum balneo & fonte dicavit: geſtationes hortis adjecit, quas cytriorum myrtorumque nemoribus exornatas, Saluti Soſpitæ, atque Voluptati Perpetuæ conſecravit.

Bononiæ ante hortum quendam hic verſus legitur:

Vrbs habeat curas, qui me mihi reddit agellus,
Exigit ingenuis gaudia mixta jocis.

In quem ſenſum, Antverpiæ, cuidam celebri horto inſcriptum fuit:

Ambitione procul, vicinæ neſcius urbis,
Hic fruor aſpectu liberiore poli.

Ibidem inſuper: E

Oblectat hortus, advocat, paſcit, tenet,
Animoque mœſto demit angores graves.

Habuit ſuburbanum haud procul à civitate eadem, ſtantibus nuper induciis Belgicis, ad amœnitatem & ſeceſſionem à curis comparatum, Laurentius Beyerlinck hujus operis Auctor, in cujus acceſſu hæc lecta fuere:

Introeunti Hortus edico.
Hoſpes qui ſuburbanum hoc inſpecturus venis,
Ne ex grato ingratus fias, hæc juſſa audito.
Quocunque & paſſim ambulato,
Vbicunque & paſſim quieſcito.
Floreſque fruticeſque audax luſtrato,
Oculiſque naribuſque libato,
Manus ne inſerto.
Rixoſus, harpax, ſerius, gerro, heluo,
Curas, vel urbis proximæ feſtum tenens,
Limine abſtineto.
Voluptatis hic locus eſt.
Quietis hic locus eſt.
Hanc, & illam ſectari Herus jubet, F
Dein ſalvum te abire.
Secùs ſi vis, aut facis;
Tu Flora, tuque Hortorum præſes Deus,
Vindicato.

☞ *Petantur nonnulla ex titulo de inſcriptionibus, §. Hortorum.*

Commodum. Utilitas.

In palatio Imperatoris Byzantini maximus eſt hortus, omnis generis frugibus, ſtirpibuſque conſitus, cui præficiuntur facilè ducenti Juvenes, à 15. anno uſque ad 20. qui paſtinando, rigando, areas & pulvillos ac toparia formando, mundandoque occupantur; & donantur veſtibus, & aliquot Aſpris in ſingulos dies. Qui verò primus Imperatori fructum maturum obtulerit, mille aſprorum honorarium accipit. Horum autem Præſes, qui vocatur Boſtangi Baſcia, ſtipendium habet 200. aſprorum in diem ſingulum. Fructus omnes à Præfecto primario venduntur, & pecunia omnis in familiam Imperatoris cedit, ut cibaria coemantur; nullum enim honeſtius lucrum cenſent, quàm quod ex ſoli benedictione colligitur.

Hortorum Expilatores, Fures, ☞ *Pete ex loco de Furto.* G *Sumptus facti in hortos.* ☞ *Require ex loco de Prodigalitate. Item ex tit. de Sumptu, §. In hortos. &c.*

HORTULANI.

☞ *Pete ex loco de Operis Mechanicis. Tit. circa hortos.*
☞ *Hortulani negligentes. Ex Tit. de Artibus Mechanicis, §. Mechanicarum Artium exercitatio: ibidem Negligentes circa hortos, &c.*

---

* Hoſpitalitas.

☞ *Vide infrà, Tit. de Humanitate.*

DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

Hoſpitalitas, Græcè φιλοξενία, & ξενοδοχεῖον, hoſpitiũ dicitur, & ξενίζω, hoſpitor, & ξένος, hoſpes. Eſt autẽ hoſpes, qui eſt extraneus a domo, ſicut advena in civitate, *ſecund. B. Thom. ſuper epiſt. Pauli ad Epheſ. 2. lect.6. col.1. final.*

Hoſpes propriè dicitur, qui privatim & amicitiæ cauſa, vel recipit, vel recipitur. Unde pro amico externo capitur, & hoſpitium pro amicitia: hoſpitium etiam diverſorium ſignificat. Cicero: Ex hac vita diſcedo, tanquam ex hoſpitio, non tanquam ex domo: Commorandi enim natura diverſorium, H non habitandi locum dedit. Hinc hoſpitalitas, facilitas vel benignitas in recipiendo.

Laus, Et Commendatio.

Proprium Jovis epitheton veteres voluerunt ξένιον, id eſt, hoſpitalem. Siquidem, ut ait eum alloquens Poeta, *lib.1. Æn.*

Iupiter hoſpitibus nam te dare jura loquuntur.

Cicero quoque Jovis hoſpitalis numen nihil unquam celari poſſe, nec hoſpites offendendos, ne hoſpitalis Jovis fidem implorent, docet, *orat. pro Dejotaro, & l.3. de fin.* qui & alio loco dicit: Rectè etiam à Theophraſto eſt laudata hopitalitas. Eſt enim (ut mihi quidem videtur) valdè decorum, patere domos hominum illuſtrium illuſtribus hoſpitibus. Idque etiam Reip. eſt ornamento, homines externos hoc liberalitatis genere in urbe noſtra non egere. Eſt autem etiam vehementer utile iis, qui honeſtè multùm poſſe volunt per hoſpites, apud externos populos valere opibus & gratia. *Theophra.* ſcribit quidẽ, Cimonem Athenis etiam in ſuos curiales Laciadas hoſpitalẽ fuiſſe. Ita enim inſtituiſſe, & villis imperaviſſe, ut omnia præberẽtur, quicunque Laciades in villam ſuam divertiſſent. *Cic. l.2. de Offic.*

Diſce,

A Diſce, Chriſtiane, ſine diſcretione exhibere hoſpitalitatem, ne fortè cui domum clauſeris, cui humanitatem negaveris, ipſe ſit Deus. *Auguſt. contra hæreſes.*

Obſecutus Loth Angelis, tanquam peregrinis, conſuetudine hoſpitalitatis, liberatus à periculo civitatis, & temporale evaſit incendium, & æternum conſecutus eſt præmium. *Ibid.*

Hoſpitalitatis officio, ad Chriſti cognitionem venimus. *Idem 2. Quæſt. Euangel.*

Tanta eſt apud Deum hoſpitalitatis gratia, ut ne potus quidem aquæ frigidæ à præmiis remunerationis immunis ſit. Vides, quia Abraham Deum recipit hoſpitio, dum hoſpites quærit: vides, quia Loth Angelos recepit: unde ſcis, an tu quum ſuſcipis hominem ſuſcipias Chriſtum, licèt in hoſpite Chriſtus ſit, quia Chriſtus in paupere eſt, ſicut ipſe ait: Hoſpes fui, &c. *Ambroſ. de Off.* ☞ *Vide infra, ſub fin. Tituli.*

Apophthegmata.

B Socrates cum hoſpites ſuos ſatis tenui cœna ſuſciperet, & amicus ejus hoc ei improperaret, reſpondit: Si boni viri ſunt, æquanimiter ferent; ſi mali, non curabo. Si res tua tibi non ſufficit, tu parcendo fac, ut rei ſufficias tuæ.

Cùm amicus quidam hoſpiti in phiditiis nihil appoſuiſſet, niſi vinum nigrum, & panem igni duratum, ſuccenſuit homini Cleomenes, dicens: Erga peregrinos non oportere nimiùm λακωνίζειν Severitas eſt, ſi quis à ſeipſo exigat victum duriorem, at inhumanitatis eſt, hoſpitem eodem compellere. *Plut. in Lacon.*

Socrates rogatus, Cujus hoſpitium nos quærere oportet: Illorum, inquit, qui benè ſapiunt. *Stob. ſer.3.*

Stratonicus, quum perhumaniter quidam eum excepiſſet, multùm recreatus eſt. Videns verò mox alium introire, iterumque alium: Faceſſamus hinc, ò puer, inquit ad ſuum comitem: Etenim pro columba palumbem, pro hoſpite pandocheum invehimus. *Ælian. de varia hiſtor. lib.13.*

C Impetravit ab Athanaſio Epiſcopo Alexandrina Mulier, nobilis & dives, ut ex viduis quæ Eccleſiæ ſumptu alebantur, daretur ſibi una aliqua alenda. Data eſt illi quædam miti & ſuavi ingenio, cujus facilitate eſt auctum matronæ ſtudium in pauperes. Popoſcit ſibi alteram dari: fortè data eſt illi pervicax mulier, ex qua cum ex pio hoſpitio probra reportaret, Ago tibi gratias (dixit Athanaſio) quòd talem dediſti, per quam patientiæ cultus à me exercebitur. *Sab. lib.9. c.1.*

Lucullus, quum Græcos quoſdam per dies aliquot magnificè tractaſſet, atque illi dicerent, Se mirari, quòd tantum impendiorum ſua cauſa faceret: Nonnihil ò hoſpites veſtra cauſa, inquit, ſed maxima pars Luculli gratia. *Plut. in Rom. Apoph.*

EXEMPLA HOSPITALITATIS
Ex S. Scriptura.

Notum de Abraham, quàm celeriter, quàm lætanter Angelos hoſpitio receperit, & ipſis ea quæ videbantur neceſſaria peregrinis, parari fecit. *Gen.18.*

Legatur hujus hoſpitalitatis encomium apud *S. Ambr. lib.1. de Abraham c.5.*

Item de Loth attende, quomodo Angelos, quos putabat eſſe homines tranſeuntes, honoravit, obnixè rogavit, & eis neceſſaria benignè offerens, domum ſuam contra incurſantes defendit, ut potuit. Unde liberatus eſt ab incendio. *Gen.19.*

D Prompta ad hoſpitalitatem videbatur Rebecca, quæ dixit ſervo Abrahæ: Palearum & fœni plurimum eſt apud nos, & locus ſpatioſus ad manendum. Et paulò poſt dixit eidem Laban: Præparavi domum, & locum camelis. *Geneſ.24.*

Sine magna prece Jethro recepit peregrinum Moyſen hoſpitio. Poſtmodùm autem filia ejus & nepotes ſui fuerunt per illum magnificè honorati. *Exod.2.*

Teſtatur Moyſes dicens: Dominus Deus noſter amat Peregrinum, & dat ei victum & veſtitum: & vos quoque amate peregrinos, quin & ipſi fuiſtis advenæ. *Deut.10.*

Exploratores, quos miſit Joſue, accepit hoſpitio Raab meretrix liberaliter, & cuſtodivit fideliter, ac dimiſit. Et domus ejus tota ab hoſte ſervata eſt. *Joſ.2. & 6.*

In Gabaa Benjamin, non invenit locum Levites, qui eum hoſpitio reciperet, niſi quendam ſenem de opere venientem. *Iudic.19.*

Elias ſuſcitavit filium mulieris, apud quam ſuſtentabatur. 3. *Reg.17.*

Mulier Sunamitis Eliſeum tranſeuntem hoſpitio ſuſcepit, hic ei filium impetravit & eundem mortuum ſuſcitavit. 4. *Reg.4.*

Bonus hoſpitalarius erat Job, qui dicebat: Foris non manſit peregrinus, oſtium meum viatori patuit. *Iob.31.* E

Quando miſit Salvator diſcipulos ad prædicandum, in illis ſeipſum recipi aſſeruit & audiri: Qui vos recipit, me recipit: qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit. *Mat.* 10. *Luc.*10.

Ambulans per mundum Dominus Jeſus, non habebat, ubi caput reclinaret: Martham verò ſpecialem hoſpitem legitur habuiſſe. *Luc.9.* 10. *Ioan.*12.

Gaudens accepit Dominum Zachæus in domo ſua, & Dominus ipſum magis gaudentem effecit, quando dixit: Hodie ſalus huic domui facta eſt. *Luc.19.*

Exemplo duorum Diſcipulorum qui Dominum in ſpecie peregrini coegerunt ad manendum, apparet, quòd peregrini non ſolùm vocandi ſunt ad hoſpitium, ſed compellendi. *Luc.24.*

Apoſtoli hoſpitabantur, ut plurimùm, in domibus artificum, & hominum mediocrium. Unde legitur de Petro: Hic hoſpitabatur apud Simonem quendam coriarium, cujus domus eſt juxta mare. *Act.10.*

Obnixè & inſtanter deprecata eſt Lydia purpuraria Paulum & ſocios ejus, ut manerent apud eam in domo ſua, & coegit eos, &c. *Act.16.*

Item de Paulo, Manebat apud Aquilam & Priſcillam, quia erant ejuſdem artis. *Act.18.* F

Cùm evaſiſſet Paulus, & ſocii ejus de confracta navi, Publius princeps inſulæ illius ipſos ſuſcipiens, triduo benignè victum exhibuit. Paulus autem patrem ipſius, febribus & dyſenteria laborantem, oratione & manuum impoſitione ſanavit. *Actor.28.*

Urbana fiducia utebatur Paulus ſcribens Philomeni, cùm dixit: Para mihi hoſpitium, nam ſpero per orationes veſtras donari vobis.

Inter cætera, ad quæ ſpecialiter Paulus inducit Hebræos, eſt hoſpitalitas: Hoſpitalitatem nolite oblivisci, per hanc enim quidam placuerunt Angelis. *Heb.13.*

Commendat Cajum *B. Io. in 3. ſua Epiſt.* dicens: Chariſſime, fideliter facis, quicquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos.

☞ *Exempla Ethnicorum & aliorum, huc referantur ex Loco de Humanitate, Tit. Erga hoſpites, peregrinos, &c.*

☞ *Erga hoſpites, Liberales, Fideles, Humani, Clementes, Vrbani: Item Moroſi, Improbi, Feroces, Crudeles, Perfidi, injuſti. Quære in Locis de virtutibus & vitiis hìc enumeratis, quatenùs erga Hoſpites exercentur.* G

HOSPITALITATIS PRÆMIUM.

Commendans Paulus Hebræis hoſpitalitatem, dicit, per eam latuiſſe quoſdam Angelos hoſpitio receptos. Ita accidit Abrahamo, *Gen.*18. Loth, *Gen.* 29. Gregorio Magno, ut conſtat *Lib.1. c.10. vitæ ejus, Lib.2. c.22. & 23.*

Leo ejus nominis IX. Pontifex Max. vir fuit pietate, innocentia, benignitate, gratia, hoſpitalitate adeò inſignis, ut domus ejus peregrinis & pauperibus ſemper pateret: nam cùm ſemel ante fores ſuas leproſum inveniſſet, eumque præ miſericordia collocari in lectulo ſuo mandaſſet, apertis mane à janitore foribus, nuſquam pauper inventus eſt: Chriſtum pauperis nomine eò loci recubuiſſe creditum. Hic deinde anno H Domini 1054. glorioſè vitam finivit, 6. Calend. Maij: Romæ in Eccl. S. Petri ſepultus. *Plat. in vita Leon.9. Pap. Ioan. Naucler. gener.36. & Bred. lib.6. c.18.*

Cum S. Sylveſter Papa adhuc eſſet juvenis, ſecutus eſt quendam Curionem presbyterum, virum & fide rectum, & in rebus divinis eruditum, & vita pium, à quo etiam fuit confirmatus & ſtabilitus in diviniſſimis noſtræ fidei decretis, compoſitique ſunt ejus mores, & formatus animus ad inſtitutum virtutis. Cùm autem jam ſuperaſſet adoleſcentiam, erat præ cæteris deditus virtuti hoſpitalitatis, & quos offendebat Romam ab externa venientes regione, eos hoſpitio lubenter excipiebat, eis hilariter menſam apponens, & aqua illorum pedes abluens & ad quieſcendum eos in ſtragulis collocans. Quo factum eſt, ut Timotheus quidam vir divinus, qui ex Antiochia Romæ peregrinabatur, & ſanctum prædicabat Euangelium, fortè ab hoc divino patre hoſpitio exciperetur, & eum hoſpes perfectiùs imbueret, & inſtitueret in verbo rectæ fidei. Non enim timuit, ut reliqui fideles, præconem ſalutaris dogmatis excipere, ſed lætus excepit eum, qui erat æqualis Apoſtolis: & ſi cognitum

fuiſſet eum hoc facere, pro ea re pati, lucrum exiſtimaſſet. *Ex Metaph. Aloyſ. Lipom. tom.5.& Sur. tom.6. in vita ejus c.3. 31. Dec.*

Vir vitæ venerabilis Cerbonius Populonii Epiſcopus, magnam diebus noſtris ſanctitatis ſuæ probationem dedit. Nam cùm hoſpitalitatis ſtudio valdè eſſet intentus, die quadam ſuſcepit hoſpitio tranſeuntes milites, quos Gothis ſupervenientibus abſcondit, eorumque vitam à nequitia abſcondendo ſervavit. Quod dum Gothorum Regi perfido Totilæ nuntiatum fuiſſet, crudelitatis immaniſſimæ veſaniæ ſuccenſus, hunc ad locum, qui octavo hujus urbis milliario, qui Merulis dicitur, ubi tunc ipſe cum exercitu ſedebat, juſſit deduci, eumque in ſpectaculo populi urſis ad devorandum projici. Cumque idem Rex perfidus in ipſo quoque ſpectaculo conſediſſet ad inſpiciendum mortem Epiſcopi, magna populi turba confluxit. Tunc Epiſcopus deductus in medium eſt, atque ad ejus mortem immaniſſimus urſus exquiſitus, qui dum humana membra crudeliter carperet, ſævi regis animum ſatiaret: Dimiſſus itaque, ſed ſubitò ſuæ ferocitatis oblitus, deflexa cervice ſubmiſſoque humiliter capite, lambere Epiſcopi pedes cœpit: ut patenter omnibus daretur intelligi, quòd erga illum virum Dei, & ferina corda eſſent hominum, & quaſi humana beſtiarum. Tunc populus, qui ad ſpectaculum venerat mortis, magno clamore verſus eſt in admirationem venerationis. Tunc ad ejus reverentiam colendam Rex ipſe permotus eſt. Quippè cum quo ſuperno judicio actum erat, ut qui Deum ſequi priùs in cuſtodienda vita Epiſcopi noluit, ſaltem ad manſuetudinem beſtiarum ſequeretur. *Ex lib.3. dialog. B. capite undecimo.*

Opinata res eſt valdè, & ſeniorum noſtrorum nobis relatione tradita. Quidam Pater-familias cum tota domo ſua magno hoſpitalitatis ſtudio fervebat: cumque quotidie ad menſam ſuam peregrinos ſuſciperet, quodam die peregrinus quidam inter alios advenit, ad menſam ductus eſt: dumque paterfamilias ex humilitatis conſuetudine aquam vellet in ejus manibus fundere, converſus urceum accepit: ſed repentè eum, in cujus manibus aquam fundere voluerat, non invenit: cumque hoc factum ſecum ipſe miraretur, eadem nocte ei Dominus per viſionem dixit: Cæteris diebus me in membris meis, heſterno autem die me in memetipſo ſuſcepiſti. Ecce in judicium veniens dicet: Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. *Gregor. in Euang. hom.23.*

Apud Carthaginem quis novit, præter admodùm pauciſſimos, ſalutem, quæ facta eſt Innocentio ex Advocato Vicariæ præfecturæ, ubi nos interfuimus, & oculis adſpeximus noſtris? Venientes enim de tranſmarinis, me & fratrem meum Alipium, nondum quidem clericos, ſed jam Deo ſervientes, ut erat cum tota domo ſua religioſiſſimus, ipſe ſuſceperat, apud eum tunc habitabamus. Curabatur à medicis propter fiſtulas, quas numeroſas atque perplexas habuit in poſteriore atque ima corporis parte. Jam ſecuerant eum, & artis ſuæ cætera medicamentis agebant. Paſſus autem fuerat in ſectione illa & diuturnos & acerbos dolores. Sed unus inter multos ſinus fefellerat medicos, atque ita latuerat, ut eum non tangerent, quem ferro aperire debuerant. Denique ſanatis omnibus, quæ aperta curabant, iſte remanſerat ſolus, cui fruſtra impendebatur labor. Quas moras ille ſuſpectas habens, multùmque formidans, ne iterum ſecaretur, quod ei prædixerat alius medicus domeſticus ejus, quem non admiſerant illi, ut ſaltem videret, cùm primùm ſectus eſt, quomodo id facerent, iratuſque illum domo abjecerat, vixque receperat, erupit, atque ait: Iterùm me ſecturi eſtis? Ad illius, quem noluiſtis præſentem, verba venturus ſum? Irridere illi medicum imperitum, metumque hominis verbis, promiſſionibuſque lenire. Præterierunt & alii dies plurimi, nihilque proficiebat omne quod fiebat. Medici tamen in ſua pollicitatione perſiſtebant, non ſe illum ſinum ferro, ſed medicamentis eſſe clauſuros. Adhibuerunt & alium grandævum jam medicum, ſatiſque in ea arte laudatum, adhuc enim vivebat Ammonius; qui loco inſpecto, idem quod illi, eorum diligentia, peritiaque promiſit. Cujus ille factus auctoritate ſecurus, domeſtico ſuo medico, qui futuram prædixerat aliam ſectionem, faceta hilaritate quaſi jam ſanus eluſit. Quid plura? Poſtea tot dies inaniter conſumpti tranſierunt, ut feſſi atque confuſi faterentur, eum niſi ferro nullo modo poſſe ſanari. Expavit, expalluit nimio timore turbatus, atque ubi ſe collegit, fatique potuit, abire illos juſſit, & ad ſe ampliùs non accedere; nec aliud occurrit fatigato lacrymis, & illa jam neceſſitate conſtricto, niſi ut adhiberet Alexandrinum quendam, qui tunc chirurgus mirabilis habebatur, ut ipſe faceret, quod ab illis fieri nolebat iratus. Sed poſteaquàm venit ille, laboremque illorum in cicatricibus ſicut artifex vidit, boni viri functus officio perſuaſit homini, ut illi potiùs, qui in eo tantùm laboraverant, quantùm ipſe inſpiciens mirabatur, curationis ſuæ fine fruerentur; adjiciens, quòd re vera, niſi ſectus eſſet, ſalvus eſſe non poſſet: valdè abhorrere à ſuis moribus, ut hominibus, quorum artificioſiſſimam operam, induſtriam, diligentiam admirans in cicatricibus ejus videret, propter exiguum quod remanſit, palmam tanti laboris auferret. Redditi ſunt animo ejus, & placuit, ut eodem Alexandrino aſſiſtente ipſum ſinum illum ferro, qui jam conſenſu omnium aliter inſanabilis putabatur, aperirent. Quæ res dilata eſt in conſequentem diem. Sed cum abiiſſent illi, ex mœrore nimio domini, tantus in domo illa eſt exortus dolor, ut tanquam funeris planctus vix comprimeretur à nobis. Viſitabant eum quotidie ſancti Viri, Epiſcopus tunc Uzalenſis beatæ memoriæ Saturninus, & Presbyter Geloſus, ac Diaconi Carthaginenſis Eccleſiæ: in quibus erat, & ex quibus ſolus eſt nunc in rebus humanis jam Epiſcopus, cùm honore à nobis debito nominandus, Aurelius; cum quo recordantes mirabilia opera Dei, de hac re ſæpè collocuti ſumus, eumque valdè meminiſſe, quod commemoravimus, invenimus. Qui cùm eum, ſicut ſolebant, veſpere viſitarent, rogavit eos mirabilibus lacrymis, ut mane dignarentur eſſe præſentes ſuo funeri potiùs quàm dolori: Tantus enim eum metus ex prioribus invaſerat pœnis, ut ſe inter medicorum manus non dubitaret eſſe moriturum. Conſolati ſunt eum illi, ut in Deo fideret, ejuſdem voluntatem utiliter ferret. Inde ad orationem ingreſſi ſumus. Ubi nobis ex more genua figentibus, atque incumbentibus terræ, ille ita ſe projecit, tanquam fuiſſet aliquo impellente proſtratus, & cœpit orare. Quibus modis, quo affectu, quo motu animi, quo fluvio lacrymarum, quibus gemitibus, atque ſingultibus ſuccutientibus omnia membra ejus, & penè intercludentibus ſpiritum, quis ullis explicet verbis? Utrum orarent alii, nec in hæc eorum inverteretur intentio, neſciebam: ego tamen orare prorſus nil poteram, hoc tantummodò breviter in corde meo dixi: Domine, quas tuorum preces exaudis, ſi has non exaudis? Nihil enim mihi videbatur addi jam poſſe, niſi ut exſpiraret orando. Surreximus, & accepta ab Epiſcopo benedictione diſceſſimus, rogante illo, ut mane adeſſent, illiſque ut æquo animo eſſet hortantibus. Illuxit dies, qui metuebatur, aderant ſervi Dei, ſicut ſe affuturos eſſe promiſerant. Ingreſſi ſunt Medici, parantur omnia, quæ hora illa poſcebat, tremenda ferramenta proferuntur, attonitis ſuſpenſiſque omnibus. Eis autem, quorum erat major auctoritas, defectum animi ejus conſolando erigentibus, ad manus ſecturi membra in lectulo componuntur, ſolvuntur nodi ligamentorum, nudatur locus, inſpicit Medicus, & ſecandum illum ſinum armatus, atque intentus inquirit. Scrutatur oculis, digitiſque contrectat: tentat denique modis omnibus, invenit firmiſſimam cicatricem. Jam illa lætitia, & laus, & gratiarum actio miſericordi & omnipotenti Deo, quæ fuſa eſt ore omnium lacrymantium gaudiis, non eſt committenda meis verbis: cogitetur potiùs quàm dicatur. *D. Aug. lib. de civ. Dei c.8.*

In Zachanto, quod eſt caſtrum propè Ananiam, miles quidam Gerardus nomine oculorum lumen ex toto perdiderat. Accidit autem, ut duo fratres Minores ab exteris partibus venientes, ad domum ipſius hoſpitaturi diverterent. Suſcepti itaque devotè propter reverentiam ſancti Franciſci à familia tota, & cum omni benignitate tractati, gratias agentes Deo & hoſpiti, ad locum Fratrum devenere vicinum. Nocte igitur quadam B. Franciſcus uni fratrum illorum in ſomnis apparuit, dicens: Surge, feſtina cum ſocio ad domum hoſpitis noſtri, qui Chriſtum & me ſuſcepit in vobis; volo enim beneficia rependere pietatis: Cæcus quidem effectus eſt ſuis promerentibus culpis, quas pœnitentiali non ſtuduit confeſſione purgare. Diſparente quoque Patre, frater feſtinus ſurrexit, ut mandatum cum ſocio celeriter adimpleret: venienteſque ad hoſpitis domum, cuncta quæ viderat alter, per ordinem narraverunt eidem. Stupuit vir ille non modicùm, & univerſa quæ dicebantur, vera eſſe confirmans, compunctus ad lacrymas, confeſſus eſt lubens. Tandem correctione præmiſſa, interiorique homine taliter renovato, exteriorem continuò recuperavit aſpectum. Hujus miraculi fama circumquaque diffuſa, non ſolùm ad reverentiam Sancti, verùm etiam ad confeſſionem humilem peccatorum, & hoſpitalitatis gratiam plurimos incitavit. *D. Bonav. in vita B. Franciſci, ca. de miraculis apud Surium tom.5. 4. Octob.*

Cum inſignis ille Julianus, cognomento Saba, maximum Eccleſiæ lumen, à divino Acacio moneretur, ut Antiochiam veniret, quietem valere jubens ad tempus, nec civitatis ſtrepitus, quibus non erat aſſuetus, refugiens, eò accurrit. Cùm autem duorum vel trium dierum iter confeciſſet in ſolitudine, noctu venit in quoddam prædium. Quædam autem dives Muliercula, cùm ſacrum illum chorum audiſſet venire, cucurrit, ut perciperet eorum benedictionem; & ad eorum pedes provoluta rogabat, ut ſua domus eſſet eorum diverſorium. Conceſſit ſenex, idque cùm pluſquam quadraginta annis à tali fuiſſet ſpectaculo ſeparatus. Cùm verò admirabilis illa mulier eſſet in ſacris illis viris miniſtrando occupata, puer ſeptem annos natus, cujus ſolius erat mater, quæ hoſpitalitatem Saræ eſt æmulata (eſſet autem veſperum & tenebræ) cecidit in puteum. Cùm autem ex eo, ut conſentaneum, exortus eſſet tumultus, mater verò ſenſiſſet; jubet omnes quieſcere, puteo autem operculo impoſito, inſtabat miniſterio. Menſa verò divinis viris appoſita, divinus ſenex juſſit vocari puerum mulieris, & accipere benedictionem. Cùm autem admirabilis mulier diceret, eum malè habere; perſtitit ille jubere, ut is duceretur. Sed poſtquàm ei, id quod accidiſſet, ſignificaverat mulier, menſam quidem relinquit ſenex; accurrens autem ad puteum, cùm auferri quidem operculum, afferrique lumen juſſiſſet, vidit puerum ſedentem ſuper aquæ ſuperficiem, & aquam manu pueriliter pulſantem, & eum ludum putantem, qui reputatus fuerat interiiſſe: & cùm quoſdam funes alligaſſent, & eos demiſiſſent, puerum extraxerunt: & ſtatim accurrit puer ad pedes ſenis, dicens, ſe eum vidiſſe in aquis ipſum ferentem, & ne mergeretur, prohibentem. Hanc hoſpitalitatis mercedem recepit illa mulier à beato ſene. *Bar. tom.4. annal. Eccl. ad ann. Chr.* 370. 77. *ex Theodor. in Philot. cap.2.* de monacho Ciſtercienſis Ordinis, viro pietate pleno, tale miraculum ferebatur. Algore nivium terra Brabantiæ reſperſa per totum, monachus perditus in itinere exiſtens, præmiſſo in villam famulo, ſolus in campis per devia veniebat. Et ecce invenit puerum elegantiſſimæ formæ quaſi triennem, magno fletu & ejulatu ſolum in nivis frigore reſidentem. Compaſſus igitur tali puero, equo deſcendit, & compleſſus flentem, flere cœpit cum eo, & quærere, quid haberet. Tacente autem puero, iterùm ingeminat, ingemiſcit quærens: Ubi eſt mater tua? nunquid perdidiſti matrem? Ad interogationes igitur illius fortiùs puer ejulans, tandem dixit: Heu me, Heu me, quare non fletem? quare non ejularem? Ecce vides, quòd egens ſolus, & in frigore ſedeo, & non eſt qui colligat me, & hoſpitium mihi præſtet. Mox monachus ſurgens, & puerum in brachiis elevans, oſculatus eſt eum, dicens: Ceſſes flere dilectiſſime, quia ad hoſpitium portabo te, & faciam enutriri. Hoc dicens cùm puero equum aſcendere voluit; ſed puer de brachio tenentis exiliens repentè diſparuit, quia Chriſtus filius Virginis fuit. In terram igitur cadens monachus, ejulare & flere cœpit acerrimè, & cùm diu ſic ejulans jacuiſſet, tandem quæſitus à ſervo, inventus eſt, & elevatus in equo ad hoſpitium ducitur. A quo cum quæreretur, cur fleret, nihil aliud una nocte dicere potuit: Heu me, puer bone, puer pulcherrime, quare me dereliquiſti, cur tam citò abiiſti, cur te perdidi? Poſt hæc monachus conſolationem recipiens, cuidam rei eventum retulit, qui illis, per quos ſcivi, tantæ rei miraculum & piaculum patefecit. *Tilm. Bredembac. D. Auroultius Tom.4. Catechiſmi.*

Fuit Romæ Vir quidam pius, & bonus, qui indifferenter homines religioſos, & pauperes ad hoſpitium ſuum invitabat. Contigit autem, eum ſenio confectum rebus temporalibus attenuari, & anguſtiabatur plus quòd ſolitam hoſpitalitatem exercere non poſſet, quàm quòd ad uſus ſuos ſufficientiam non haberet. Cumque una noctium anxius pro talibus in lecto jaceret ſemivigilans, audivit vocem dicentem ſibi: Vidi charitatem tuam & miſericordiam, quam in exhibenda hoſpitalitate multo tempore infatigabiliter habuiſti, & per hanc ad vitam pauperem perveniſti. Volo ergo non ſolùm in futuro remunerare te, verùm etiam in præſenti. Loquere illi diviti, & de vinea tua, quæ melior eſt, cum vinea illius concambium facies. Ipſe autem libenter annuet verbis tuis. Habita ergo illius vinea, in medio illius acervum fodias in profundum, & ſub eo reperies, quod Romanis copiis eſt inviſum. Ad hanc igitur vocem quum protinùs homo non obediret, ſecundò quoque & tertiò idem quod priùs vox divina præcepit. Tunc igitur homo ad divitem veniens, obtulit concambium vinearum. Cui dives: Libenter, inquit, id faciam, & quò melior tua eſt mea, tibi ſolvam. Cui pauper: Nolo, ait, ſed æquo valore concambium fiat: & factum eſt ſic. Mox pauper, communicato ſecretæ rei conſilio filio, quem habebat, & duabus pariter filiabus, ad acervum cum eis ſupradictum accedit in vineam, & incipiunt fodere cum ſpe magna. Cumque diu fodiſſent, nec adhuc affectus ſui dignum ſignum aliquod inveniſſent, cœperunt patri ſuo filius cum ſororibus inſultare. Quibus pater, Nullo, ait, modo poſſum credere, me fruſtrandum eſſe. Acervo igitur pater cum filiabus viriliter inſiſtentes, tandem in profundo inter ingentes lapides vas marmoreum plenum aqua, & in ore ipſius vaſis, ollam vitream plenam balſamo, & in orificio ollæ vas parvum fictile, & in eo tres lapides pretioſos, ſmaragdum, ſapphirum, & carbunculum quantitatis non modicæ repererunt. Nihil autem aquam in vaſe marmoreo reputantes, effuderunt eam. Quæ mox ut effuſa eſt, inſtrumenta quædam ærea, in quibus laboraverat, perfuſione contingens, colorem æris in pulcherrimam auri ſpeciem commutavit. Erat enim aqua ex ſanguine & carnibus baſiliſci in modum aquæ roſaceæ per elevationem facta, qua ſolet ab Alchimiſtis aurum fieri ſophiſticatum: ſed hac aqua Deus noluit dicti viri innocentiam maculari, & ideò effuſa diſperiit. Balſamo verò, cum dictus homo debilitatus viſu, uſus fuiſſet, neſcius, quaſi communi oleo per dies aliquot, viſum integerrimè recuperavit. Et poſt cognito per presbyterum ſuum, quòd eſſet balſamum, vendidit illud inæſtimabili pretio: & pro lapidibus, quos invenerat, pretioſis, pecunias copioſiſſimas & multas accepit: factuſque dives & inclytus glorificavit Deum, & poſt ſe filios, & nepotes ſuos in multis copiis dereliquit. *Ib.*

Venerabili Adæ de Belomeir tale miraculum contigit. Recedente viro ſuo, nobiliſſimo milite, & quaſi diebus multis non redituro, petens leproſus hoſpitium, receptus eſt. Illo ergo gemente & cauſante debilitatem corporis fatigati, petit in lectum ſuaviſſimum ſe deponi. Domina autem, nullum credens lecto domini ſui molliorem, in eo leproſum hominem mox deponit. Nec mora, ex inſperato dominus rediens petit in thalamum intromitti. Diſſimulante ergo domina, conjecit ille aliquem eſſe in thalamo, & irruptione facta, hyemali tempore, lectum ſuum roſis fragrantiſſimis coopertum invenit. Admiratus igitur, quærit quid factum ſit, indicat uxor: Nec mora, in laudem Chriſti ambo cum lacrymis reſolvuntur. *Ibid.*

Cum poſt perſecutiones Conſtantinus Magnus imperaret & adversùs tyrannum Licinium bellum gereret, juſſi ſunt plurimi juvenes in aliquibus provinciis referri in numerum tironum, inter quos fuit Pachomius: qui, ut ipſe affirmavit, annum agebat vigeſimum. Omnibus ergo uno animo navigantibus cum iis, qui ipſos aſſumpſerant, militibus, appulerunt in quoddam oppidum Thebarum. Veſpere autem, cùm cives vidiſſent eos in ſatis tuta eſſe cuſtodia, & de eis audiviſſent viri Chriſtiani & miſericordes: attulerunt eis omnia quæ erant eis ad uſum neceſſaria, & valdè eis magnum præbuere ſolatium, cùm eſſent in maxima afflictione. Ego verò cùm vidiſſem (inquit Pachomius) quod ab eis factum fuerat, & valdè eſſem miratus: didici ab eis, qui unà mecum erant, Chriſtianos erga omnes quidem, præcipuè tamen erga hoſpites, eſſe benignos, & miſericordes. Rogante autem me, inquit, quidnam eſſet appellatio Chriſtianorum, dicebant: Sunt homines pii, & Deum colentes, credentes in nomen unigeniti filii Dei ſui Jeſu Chriſti: & omnibus benefacientes, ſperant ab eo mercedem remunerationis. Ipſis autem hæc ei dicentibus, mente illuminatus, & fidem Chriſtianorum admiratus, & metu Dei corde inflammatus, & ſpiritu exultans, cùm parùm receſſiſſet, & apud ſe fuiſſet, manus ſuas in cœlum extendit, & dixit: Domine Deus, qui feciſti cœlum & terram, ſi reſpiciens reſpexeris humilitatem meam, & mihi tuæ divinitatis dederis cognitionem, & me liberaveris ex hac afflictione, tibi ſerviam omnes dies vitæ meæ, & convenienter tuis præceptis vitam inſtituam. Cùm ergo eſſet precatus, & ſic Deo pollicitus, uno die poſtea egreſſus è cuſtodia, cum iis qui cum ipſo erant, & navem ingreſſus, navigavit ex illo oppido. Intereà autem dum in aliena regione verſaretur, ſi quando eum carnis voluptates, aut aliquarum rerum mundanarum vexarent cupiditates, valdè adverſabatur, precum memor, per quas mente illuminatus Chriſtum fuit profeſſus, & ejus qui in ipſum extitit divinæ gratiæ eventus. *Apud Metaphr. die 13. Maji Bar. tom.3. Annal. Eccl. an. Dom.316.*

Violans pauperum hoſpitiola punitur.

Quid Rucçoleno pauperum hoſpitiola violanti acciderit, à B. Gregorio, res ob oculos poſitas enarrante, ſic accipe. Dum verò (inquit) interempto Sigeberto Rege, Chilpericus regnum exemptus ab imminenti morte cepiſſet: Ruccollenus cum Cœnomanicis graviter civitatem Turonenſem opprimebat, ita ut cuncta devaſtans, nullam ſpem alimoniæ in domos Eccleſiæ, vel pauperum hoſpitiola relinqueret. Poſtera autem die Legatos ad civitatem mittit, ut homines, qui propter culpam minimè nobis incognitam ad ſancti Baſilicam reſidebant (quòd illuc confugiſſet Gumterramus Dux, qui dicebatur occidiſſe Theodobertum) extraherentur à Clericis. Quod ſi differretur fieri, univerſa promittit incendio concremari. Et nos hæc audientes, mœſti valdè Baſilicam ſanctam adimus, & ſancti auxilia flagitamus: ſtatimque paralytica, quæ per duodecim annos fuerat contracta, dirigitur. Ipſe verò Ruccollenus ulteriorem ripam aggreſſus, morbo confeſtim regio ſauciatur, atque ab infirmitatibus Herodianis (quas enarrare longum videtur) alliſus, & ſicut cera à facie ignis guttatim defluens, quinquageſima die ab hydrope conflatus interiit. *Greg. Turon. lib. 2. mirac. S. Mart. c. 27. apud Sur. tom. 7. an. Dom. 579. 18.*

☞ *Require locum de Humanitate. Tit. Humanitas erga Hoſpites & peregrinos.*

☞ *Item poterit præſens locus illuſtrari pluribus Exemplis huc deductis ex loco de Liberalitate. In quo integer eſt Titul. de Liberalitate erga Hoſpites.*

HOSPITALITATIS SYMBOLUM, ET TESSERA.

Apud Ethnicos tanta erat hoſpitalitatis dignitas, ut qui eam ſervarent, idoneam demùm amicitiæ teſſeram habere dicerentur. Quin hoſpitalem teſſeram frangere, erat amicitiam diſſolvere. Hac de cauſa magnus Pachomius adhuc gentilis, viſa Chriſtianorum hoſpitalitate erga ſuos commilitones, ad Chriſtum converſus ſcribitur *in vita illius*.

Apud primos Chriſtianos etiam hoſpitalitas viguit. Quippè *Tertul. lib. de præſcrip. c. 20.* tria Catholicæ communicationis ſymbola enumerat, ſcilicet communicationem pacis, appellationem fraternitatis, & conteſſerationem hoſpitalitatis. Quæ jura, inquit, non alia ratio regit, quàm ejuſdem ſacramenti una traditio; ubi per conteſſerationem hoſpitalitatis, intelligit *Tertull.* certum aliquod ſignum tanquam teſſeram Chriſtianiſmi, quod qui adferret, paſſim à Chriſtianis reciperetur hoſpitio, & frater ac amicus haberetur.

Hoc ſignum adulterabant hæretici: Imò, *apud Lucianum*, Peregrinus Impoſtor ſe finxit Chriſtianum, quòd ſatis viatici ſibi eſſe diceret in Chriſtianorum hoſpitalitate, quaquaverſum iter inſtitueret.

Quinimò non recipere aut conjungere oblatam teſſeram, idem erat, quod ſe à Catholica communione ſejungere.

Patres Concil. Nicæni, eò quòd hæretici ſæpè adulterarent hanc teſſeram hoſpitalitatis, ſæpè eam mutabant, tandemque committebant litteris, quas Patres vocabant Formatas, quibus decreverunt ſubſcribi has quatuor Litteras, Π. Υ. Α. Π. i. Πατὴρ, Υἱὸς, ἅγιον Πνεῦμα: Pater, Filius, & Spiritus ſanctus.

☞ *Vide in loco de Litteris. Litteræ Commendatitiæ.*

PRÆCEPTUM.

Non modò apud primos Chriſtianos hoſpitalitas fuit in pretio, ſed etiam in præcepto. Nam Burcardus Epiſcopus Vvormatienſis, qui floruit ſub annum Domini M. XX. *Li. 1. Decret. c. 99. Interrog. 71.* docet, Epiſcopos in ſolemni Parœciarum viſitatione, in qua de gravibus criminibus inquirunt, ex officio quaſi de crimine interrogare debere, num aliqui ſint in Parœcia, qui ad ſe venientibus peregrinis aut viatoribus hoſpitium negarent.

Inter alia quæ ab Epiſcopo requirit & prærequirit *Gentium Doctor*, illud etiam reperitur, ut ſit hoſpitalis φιλόξενος, hoc eſt peregrinorum amans, non ſolùm ut hanc virtutem exerceat Epiſcopus circa nobiles, vel aulicos, ad pompam & ſplendorem, item erga confratres, & alios ſibi miniſtrantes, adeoque divites: ſed maximè erga pauperes & peregrinos. Ideò enim tam opimos proventus illi Eccleſia attribuit.

S. Greg. ad Joan. Epiſ. ſcribit, Hoſpitalitatem neſciens, nòn fiat Epiſcopus. Et *D. Hieron.* diſertè dicit ad Oceanum, domum Epiſcopi eſſe oportere omnium commune hoſpitium, addens: Epiſcopus, niſi omnes excipiat, inhumanus eſt.

Huc faciunt celebrata in utroque jure receptacula ſenum, orphanorum, puerorum, peregrinorum & ſimilium, *in Auth. 7. §. ult. & auth. ſi quidquid de impenſ. C. de Epiſc. & Cler. Item 23. q. 8. c. in qualibet.*

RITUS, ET OFFICIA HOSPITALITATIS.

Nempè Hoſpites excipiendi.

HILARITER.

Hoſpitalitatis ritus varios olim fuiſſe, exemplis clarum evadit, & pleroſque eorum ex facto Abrahæ cognoſcimus. Is enim videns ad ſe venientes tres viros, ignorans eſſe Angelos, cucurrit in occurſum eorum de oſtio tabernaculi, dixitque: Si inveni gratiam in oculis tuis domine, ne tranſeas ſervum tuum. *Geneſ. c. 18.* Quippè ſolebat ad meridiem Abraham ſedere in tabernaculo ſuo, & ad oſtium exſpectare peregrinos & advenas, qui in fervore diei ad hoſpitia ſolent divertere. Neque exſpectat, donec domum ſuam ſubeant, ſed ſurgit ocyùs, & in occurſum ruit venientium, magnaque alacritate eos introducit.

De Lot. ☞ *Vide infrà.*

COMITER.

Comiter & humanè hoſpites excipiendos, docemur exemplo Telemachi, *apud Homerum* Minervam excipientis.

Qui advenientem legitur ſalutaſſe, etiam dum adhuc præ foribus ſtaret: & prehenſa dextra, eam introduxiſſe. Quò alludere videtur *Cicero pro R. Dejotaro*: Per dextram te iſtam oro, quam Regi Dejotaro hoſpes hoſpiti porrexiſti. Formula autem Telemachi erat: χαῖρε ξεῖνε· παρ᾽ ἄμμι φιλήσεαι.

Ad humanitatem etiam ſpectat, ut hoſpites oneribus, ſi quæ habent, alleventur. Sic inducitur Telemachus *apud Homerum* ſuprà, accepiſſe enſem, quo accincta erat Minerva, & intrò tuliſſe: quod etiam hodie in uſu, ſarcinas hoſpitum accipere, in domum ferre.

Deinde ſi hoſpes curru, equove veniat, equi in ſtabulum ducendi & curandi: quod officium *Homerus* Οδ. δ. expreſſit ſub perſona Menelai, qui Telemachum atque Piſiſtratum ad ſe curru venientes hoſpitio excepit, & equis locum aſſignavit.

Sic legimus, Rebeccam ſervo Abrahæ non modò hoſpitium præbuiſſe, ſed etiam camelos illius excepiſſe & comites

Verùm priùs quàm jumenta curentur, hoſpes in domum introducendus. Ita Minervam Telemachus, poſtquàm ſalutaſſet Ἡγεῖθ᾽, ἡ δ᾽ ἕσπετο Παλλὰς Ἀθήνη. Οδ. α.

Pari modo Menelai famuli, imperium domini ſecuti Αὐτὰς δ᾽ (Telemachum & Piſiſtratum) εἰσῆγον θεῖον δόμον. οἱ δ᾽, ἰδόντες.

Neque tantùm in domum introducere, ſed defatigatis de via inſuper locum mollem & commodum oſtendere decet. Uti rurſus Telemachus Minervæ ſcribitur feciſſe.

Sic Laban dicebat ſervo Abrahæ: Ingredere benedicte Domini, cur foris ſtas? præparavi domum, & locum camelis. Et introduxit eum in hoſpitium: & appoſitus eſt in conſpectu ejus panis. *Gen. c. 24.*

REVERENTER.

Notatur in Abrahamo quoque, quòd adoraverit venientes pronus in terram, uti etiam adoravit filios Heth, *c. 23. Geneſ.* Itaque civilem & Orientalibus conſuetam reverentiam exhibuit: ut non modò ex charitate accipiendos doceat hoſpites, ſed etiam reverenter. *Ibid.*

Docuit exemplo ſuo Abraham Apollonium Abbatem, ut fratres ſuos peregrè venientes adorans acciperet, ſe uſque ad terram proſternendo, eoſque monendo, ita & ipſi aliis facerent, tanquam quibus certum foret, Chriſtum in iis ſuſcipi.

Hinc S. Benedictus in Regula ſua ita habet: Omnibus venientibus ſive diſcedentibus hoſpitibus, inclinato capite, vel proſtrato omni corpore in terra, Chriſtus in eis adoretur, qui & ſuſcipitur.

HUMILITER.

Videlicet abluendo eorum pedes.

Abraham hoſpitibus ſuis dixit: Adferam pauxillum aquæ, & lavate pedes veſtros, & requieſcite ſub arbore; quaſi dicat, ut inſinuat *S. Auguſt. ſerm. 20. de temp. & S. Hieronym. Epiſt. 25. ad Pammach.* Sinite, ut vobis pedes lavem. Fiebat autem hoc cum ad abluendas ſordes, tum ad laſſitudinem auferendam. *Ibid.*

Abigail quoque in uxorem à Davide expetita, ait: Ecce famula tua ſit in ancillam, ut lavet pedes ſervorum domini mei. *1. Reg. c. 25.*

Loth etiam hoſpitalitatis gloria non minùs, quàm affinitate conjunctus Abrahæ, ſedebat veſpere in foribus civitatis: veneruntque duo Angeli Sodomam; quos cum vidiſſet, ſurrexit, & ivit obviam eis, adoravitque pronus in terram, & dixit: Obſecro domini declinate in domum pueri veſtri, & manete ibi: lavate pedes veſtros, &c. *Gen. c. 19.*

De Diſpenſatore domus Pharaonis legimus, quòd fratribus Joſeph venientibus in Ægyptum, introductis in domum aquam appoſuerit ad lavandos pedes. *Gen. 4.*

Rebecca inſuper ſervo Abrahæ miſſo in Meſopotamiam, ubi eum vidiſſet, apponi juſſit aquam ad lavandos pedes Camelorum, & virorum qui cum eo venerant. *Gen. 14.*

Judic. c. 19. de Levita habemus, qui ex Bethlehem cum uxore & famulo venerat in Gabaa, quòd quidam eum introduxerit in domum, & poſtquàm laverunt pedes ſuos, receperit in convivium.

De Magdalena quæ Chriſtum ablutura venit ad domum Simonis; de Chriſto qui pedes diſcipulorum lavit ante perceptionem S. Euchariſtiæ, notum ex Euangelio: ubi notari debet illa caſtigatio Domini ad Simonem, Aquam pedibus meis non dediſti.

A Vidua in Diaconiſſam eligenda, S. Paulus hanc conditionem requirit; ſi hoſpitio recepit, ſi Sanctorum pedes lavit, i. Chriſtianorum peregrè venientium. Vultque, ait Chryſoſt. ut id præſtet per ſe, non per ancillas.

Primis Chriſtianis ea ſanè erga peregrinos pietas fuit, idemque *Tertul.* diſſuadet matrimonium Chriſtianæ cum Ethnico, quia, ait, maritus paſſurus non ſit, Sanctorum pedibus aquam offerat. *Lib. 2. ad uxorem.*

Spiridionis Abbatis & Epiſcopi in Cypro hoſpitalitatem etiam ab humilitate commendabilem facit *Sozom. lib. 1. Hiſt. c. 11.*

Arianorum impietatem enumerans *S. Athanaſius*, dicit quòd etiam Hermiam lavantem pedes peregrinorum arripi, & in carcerem intrudi juſſerint. *Epiſt. ad Solitar. vitam agentes.*

Cæterùm non ſolùm in peregrinis id obtinebat, ſed etiam hoſpitibus qui ad convivium vocabantur, ut obſervat Maldonatus ex facto Magdalenæ.

Ethnicis quoque familiare, ut hoſpitum apud eos pedes lavarentur. Habes apud *Homerum Odyſſ. 7.* λοῦσαι δ᾽ ἐν ποταμῷ. *Lavatum illum in fluvio*, de Ulyſſe, qui noluit coram puellis nudari, adeòque illud obſequii ſibi præſtari: ideoque dicit Poeta:

Αὐτὰρ ὁ ἐκ ποταμοῦ χρόα νίζετο.
Ipſemet ex fluvio corpus abluit.

Poſteà tamen, antequàm epulis Alcinoi & Phœacum accumberet, aqua calida lotus, oleoque ab ancillis unctus fuit. *Odyſſ. 7. & Odyſſ. 19.* mandat ancillis Penelope, ut eum lavent, ſub ſchemate peregrino latentem.

Cleobuli ſapientis & Lydiorum Monarchæ filiam non pudebat lavare pedes hoſpitum paternorum, inquit *Clemens Alexand. lib. 4. Stromat.*

Plauti locus etiam Rom. id uſitatum fuiſſe arguit:
Hic accumbe, ferte aquam pedibus.
In Perſa.

Herodot. lib. 2. ſcribit, Amaſin Regem Ægyptiorum habuiſſe auream pelvim, in qua tam ipſe, quàm omnes convivæ pedes abluebant.

☞ *De Humanitate erga Hoſpites. Videatur latè in Loco de Humanitate.*

SAL APPONEBATUR HOSPITIBUS.

Ante alios cibos Sal apponebatur hoſpitibus, ut ſcilicet ſignificaretur amicitiæ firmitas & perſeverantia. Unde ominoſum cenſebant Gentiles, ſi ſal profundi in menſa contigiſſet, quaſi per hoc amicitiæ everſio vel reſciſſio portenderetur. *Ita Pier. in Hieroglyph.*

Fuit opinio quorundam Rabbinorum, teſte *Lyrano in c. 19. Geneſ.* ideò uxorem Loth mutatam in ſtatuam Salis, quòd qua nocte accubuerunt Angeli, nec ſal quidem appoſuiſſet.

☞ *Hoſpitum, ſive peregrinorum, id eſt, eorum, qui hoſpitio excipiuntur, officium, & gratitudinem, quære in Loco de Peregrinis.*

SCRIPTORES.

Laudes & Encomia hoſpitalitatis tradunt ſuis ſcriptis, *S. Chryſoſt. hom. 41. in Geneſ. Ambroſius lib. 1. de Abraham, cap. 5. Auguſtinus ſerm. 68. & 70. de tempore.* Idem *Ambroſ. lib. 2. officior. c. 21. & l. 3. c. 7.*

Idem etiam *Chryſoſt. conc. 2. de Lazaro, Guil. Stuk. lib. 1. cap. 17.* & alii, qui exempla virtutum & vitiorum poſteritati dedere. ☞ *De Inhoſpitalitate & Inhoſpitalibus. Vide Locum proprium.*

---

* Hoſtia.

☞ *Vide Sacrificium.*

DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

HOſtia, ab antiquo verbo hoſtio, quod eſt rotundo & ferio, dicitur, ait Nonius. Alii ab hoſtibus deductum volunt hoc nomen θυσία ἱερεῖον. Eratque animal, quod pro impetranda de hoſtibus victoria immolabatur. Hinc *Ovid. lib. 1. Faſt.*

Hoſtibus à cæſis hoſtia nomen habet.

Feſtus hoſtiam exiſtimat ſacrificium, quod deis laribus immolabatur, eò quòd ab illis hoſtes arceri arbitrabantur; unde & Lares hoſtioli appellati.

VARIÆ HOSTIÆ HEBRÆORUM.

Uti varia erant in veteri populo Sacrificia, ita & non unius generis hoſtiæ. Meminit Scriptura hoſtiæ pro peccato, *Levit. c. 5.* In qua non apponebatur oleum, quod tamen ex lege, ſacrificio ſimilæ immittebatur: ut ſignificaretur, peccatorem expertem eſſe lætitiæ, cujus ſymbolum eſt oleum: Neque thus ut indicaretur fœtor peccati.

Erat alia Hoſtia, quam vocabant Pacificorum, quam deſcribit Moyſes *Lev. c. 7.* Si pro gratiarum actione oblatio fuerit, offerent panes abſque fermento, conſperſos oleo, & lagana azyma uncta oleo, &c. Immolationis ritum deſcribit R. Salomon, & refertur apud Cornel. à Lapide in elaborato ſuo *Commentar. in Levit. c. 7. verſu 33.*

Hoſtia pro purificatione puerperæ, erant agnus anniculus, & pullus columbæ ſive turturis. Pauperum verò victima erant duo turtures, aut duo pulli columbarum, ut conſtat *Lev. c. 12.*

☞ *Illuſtrari iſte Locus poterit ex Loco & Tit. de Sacrificio: quatenus variorum Sacrificiorum variæ etiam hoſtiæ.*

HOSTIARUM PRÆPARATIO.

INSPECTIO.

☞ *Quære in Loco de Ethnicis Tit. Sacrificia Ethnicorum: & plura his affinia.*

HOSTIARII. ☞ *Vide Locum de operis Mechanicis. Tit. Operæ Mechanicæ circa materiam inanimatam artificialem.*

* HOSTIÆ HUMANÆ.

☞ *Vide locum de Ethnicorum Religione. Tit. Sacrificia, &c. Victimæ humanæ, & alios Titulos ibidem allegatos.*

Julianum Apoſtatam humanas victimas dæmoni obtuliſſe, hiſtorici notarunt, Cedrenus, Godfridus Viterbienſis, & alii. Imò Antiochiæ in abſtruſis locis arcas humanis capitibus plenas repertas fuiſſe, & demerſa multorum corpora, tanquam reliquias Julianicorum ſacrificiorum, narrant.

Qui cum Carris apud Perſas iter faceret, ſpeluncam quandam ſubiens, ſceleſtiſſimis ſacris operatus fuerat, paucis conſciis adhibitis. Cæterùm eo interfecto, fores ſpeluncæ à curioſis hominibus apertæ fuerunt, quòd noſcere deſiderarent, quid Imperator ibi tam ſeriò egiſſet: & ecce inventa eſt muliercula capillis ſuſpenſa, manibus expanſis, è cujus jecinore crudelis Apoſtata victoriam de Perſis explorare voluerat.

☞ *Vide locum de Ethnicis, Magia, & Crudelitate.*

Hoſtis. Hoſtes.

* DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

HOſtis πολέμιος Græcè, *Tſar* Hebraicè, id eſt, anguſtiator, oppreſſor, è radice *Tſarar*, anguſtiavit, oppreſſit. Dicitur is, cum quo bellum apertum geritur. Unde ab inimico diſtinguunt, cum quo odia privata exercemus. A verbo hoſtio deducitur, quod idem eſt, ac coerceo, offendo.

* DE HOSTIBUS.

Apophthegmata.

Diogenes ad ſalutem hominibus opus eſſe dicebat, aut fidis amicis, aut acribus inimicis, eò quòd illi monent, hi redarguunt. *Laert. lib.6. Plut.*

Antiſthenes Philoſophus Athenienſes frequenter dicere ſolebat, hoſtes in bello ſemper obſervandos eſſe, quòd hi primùm omnium ſentiant, ſi quid delinquas. In hoc igitur utiliores ſunt nobis quàm amici, ut errata noſtra cognoſcamus & cognita corrigamus. *Laert. lib.6. c.1.*

Ariſton cuidam laudibus vehenti dictum Cleomenis, qui interrogatus, quid oporteret bonum regem facere: reſpondit, Amicis benefacere, inimicis verò malè. At quanto præſtantius, ait, amicis benefacere, & ex inimicis reddere amicos. *Plut.*

Onomademus poſtquàm adverſam factionem ſuperaſſet, quibuſdam cenſentibus omnes diverſæ factionis urbe pellendos, negavit expedire, dicens, ſe tueri, ne omnibus inimicis ad unum ejectis, inter amicos exiſterent diſſidia. Sentiens, ſic eſſe multorum ingenium, ut ſi deſint inimici, in quos naturæ malitiam exerceant, amicos impetant. *Eraſm. lib.6. Apoph.*

Xenophon dicebat, eſſe prudentis cordatique viri etiam ab inimicis utilitatem capere. Vulgatum eſt, neque ſolem, neque aquam, neque ignem magis utilem eſſe hominibus quàm amicos; ſed ingenii Philoſophici eſt, quemadmodùm periti medici ex beſtiis ac ſerpentibus noxiis utilia quædam remedia colligunt, ita ex inimicorum odio decerpere aliquid, quod vertat in ſuum bonum. *Eraſm.6. Apophth.*

Chabrias, Optimos Imperatores eſſe dicebat, qui res hoſtium notiſſimas haberent. *Stob. ſerm.52.*

Antigonus interrogatus, quomodo oporteret hoſtes aggredi? dixit, aut dolo, aut vi, aut apertè, aut per inſidias. *Stobæus ſerm.52.*

Xenophon, Neque vel amicis (inquit) beneficium majus præſtiteris in bello, quàm ſi inimicus ipſis eſſe videaris; vel magis hoſtibus ullo pacto nocueris, quàm ſi amicitiam ipſorum ſimules. *Stob. ſerm.52.*

Samnitibus conſultantibus, quid de Legionibus Romanis apud Furcas Caudinas incluſis fieri deberet: Herennius Pontius ſuaſit, ut inviolatæ dimitterentur. Poſtero die eadem de re conſultus, reſpondit ad unum uſque delendas. Sentiens, aut clementer magno beneficio demerendos hoſtes, aut irreparabili jactura illorum vires comminuendas. Neutrum ſequutus eſt exercitus: ſed ſub jugum miſſos, contumelia magis illos in ſe provocavit. *Eraſm.6. Apoph.*

Ageſilaus Rex, cum edixiſſet, ut captivi nudi venderentur, Laphyropoli, quorum munus erat res prædatitias divendere, quod erant juſſi faciebant; ac veſtium quidem, quoniam juxta barbaricum morem erant ſplendidæ, multique pretii, complures extiterunt emptores: cæterùm ipſa corpora candida, protſuſque tenera ac delicata, nec quicquam virile præ ſe ferentia (quippè in umbra, otio ac voluptatibus educata) adeo concupivit emere, ut dediderint etiam hoc mercium genus, velut inutilium, nec ullius omninò pretii. Id animadvertens Ageſilaus qui auctioni præſidebat, & hunc caſum torſit ad animandos ad fortitudinem milites: Hæc, inquit, ſunt pro quibus pugnatis (ornamenta captivorum oſtendens) quibus cum pugnatis (nuda captivorum corpora demonſtrans) Duplici nimirùm argumento addidit ſuis animos, ampliſſima ſpe præmiorum, & hoſtium imbellium extremo contemptu. *Plut. in Lacon.*

Spartanus interrogatus, num tutum eſſet ad Spartam iter: Refert, inquit, qualis eò deſcendas. Nam leones illuc euntes plorant, lepores autem in umbraculis venamur. Significavit, ferocibus ac violentis eſſe tutum proficiſci Spartam, nec mollibus & effœminatis: quòd hoſtili animo illic proficiſcentes malè acciperentur à fortibus, delicatos homines illic non ſinerent laſcivire in tenebris. *Plut. in Lac.*

Antigonus, quum in parvulo quodam caſtello Græci obſiderentur, ac fiducia loci contemnentes hoſtes, multa in deformitatem Antigoni jocarentur, & nunc ſtaturam humilem, nunc colliſum naſum deriderent: Gaudeo, inquit, & aliquid boni ſpero, quando in caſtris meis Silenum habeo. Cùm hos dicaces fame domuiſſet, quod captis facere mos eſt, videlicet ut qui bello ſunt utiles, in cohortes deſcribantur, cæteri præconio ſubjiciantur: negavit ſe vel id facturum fuiſſe, niſi expediret his dominum habere, qui tam malam haberent linguam. *Plut. & Seneca.*

Cicero, poſt Pharſalicum conflictum, cum fugiſſet Pompejus, Nonius quidam dicebat ſeptem adhuc aquilas ſupereſſe, proinde bono animo eſſent, hortabatur: Rectè, inquit Cicero, hortareris, ſi nobis cum graculis bellum eſſet. At ille aquilas dixit, vela Romana aquilis inſignita. *Plut. in Rom. Apopht.*

Romani cum in pugna contrà Tigranem, hoſtium peditum centum millia trucidaſſent, paucis equitum fuga ſervatis, & ex ipſis non ampliùs centum eſſent vulnerati, interfecti quinque: dicebant, ſeſe erubeſcere, quòd in tam vilia mancipia ſtrinxiſſent ferrum. *Plut. in Rom. Apophth.*

Socrates, cum Crœſum interrogaſſet, quid eſſet maximum & pretioſiſſimum ex regno conſecutus? illeque reſpondiſſet, ut hoſtes ulciſceretur, & amicos beneficio afficeret: Multò, inquit, meliùs feciſſes, ſi & illos tibi amicos aſciviſſes. *Max. ſerm.6.*

Ageſilaus ſolebat admonere milites ſuos, ne captivos ut facinoroſos cruciarent, ſed ut homines ſervarent. Infantibus etiam in bello captis providit, ut in unum locum comportarentur, ne mutatis caſtris relicti perirent. Eandem curam impendit ſenibus captivis, ne, quoniam ſequi non poſſent à canibus lupiſve diſcerperentur. Hæc autem humanitas illi non ſolùm aliorum, verùm etiam captivorum miram benevolentiam conciliavit. Et nunc homines ſibi videntur, qui trucidatis infantibus ac ſenibus, eam ætatem abducunt, quæ vel libidini apta eſt, vel labori, vel utrique. Quò progreſſa eſt immanis illa feritas! *Plut. in Lac. Apoph.*

Xerxes cum Græcorum exploratores in exercitu ſuo deprehendiſſet, nullo malo affecit, ſed circumduxit, ut omnem viderent exercitum, & illæſos dimiſit. Noluit vir bellicoſiſſimus crudeliter graſſari in hoſtes pernicioſiſſimos, quos non tam manu, quàm benevolentia & clementia vincere cupiebat. *Plut. in Reg. imper. Apopht.*

Paulus Æmilius, Perſeo ſeſe ad victoris pedes abjicienti, voceſque degeneres emittenti: Cur, inquit, fortunam crimine liberas, ſic tè gerens, ut ſuperiore etiam fortuna videaris indignus? Cur meam dedecoras vioctriam, ac rerum à me geſtarum gloriam obſcuras, tam abjectum te demonſtrans, ut indignus appareas, quem populus Rom. haberet hoſtem? *Plut. in ejus vita.*

Fabius Maximus dicebat, abſurdum videri, ſi cum equos & canes venaticos familiaritate ciboque cicuremus, potiùs quàm catenis ac verberibus, homines feroces animo, non humanitate ac beneficiis bonis conciliemus, ſed aſperiores in illos ſimus quàm agricolæ ſunt in caprificos ac mulos ſylveſtres & oleaſtros; qui has non protinùs excidunt, ſed inciſione docent miteſcere. *Plut. in Rom. Apoph.*

Fabricio jam conſuli miſit epiſtolam Pyrrhi medicus, qua promittebat ſe regem veneno necaturum, ſi juberet. At eam epiſtolam, authore non prodito, ad Pyrrhum remiſit: jubens illum ſibi cavere, qui peſſimus eſſet judex cum amicorum tum hoſtium. Sentiens, eum habere pro hoſtibus eos quos amplecti debebat, ſi ſatis noviſſet: & hos pro amicis ducere, qui pejus illi vellent quàm hoſtes. *Plut. in Rom. Apopht.*

Alfonſus cum Cajetam urbem obſideret, coacti ſunt oppidani ob famem, qua graviter vexabantur, ad bellum inutiles è civitate expellere: in quos cùm incidiſſet rex, adhortatus, ut ferro trucidaret omnes: Nequaquam, inquit, bellum contra puellas, fœminas, ſenes, ac innocentem juventutem ſuſcepimus: ſed contra viros armatos, de victoria manu nobiſcum concertantes. Et ſic pepercit imbelli ætati, ab hoſtibus civitate pulſæ ob famem. Alphonſum ſanè, & Ageſilaum, qui ſimilem pietatem hoſti præſtitit, noſtra tempora deſiderarent. Si quidem nunc de magna gloriantur animi fortitudine, qui trucidatis infantibus, ac ſenibus, eam ætatem abducunt, quæ vel libidini apta eſt, vel labori, vel utrique. *Alphonſi dictum recitat. Panorm. lib.1. de reb. geſt. Alphonſi.*

Ageſilaus cum adversùs Theſſaphernem hominem fœdifragum belligeraret, ejuſque urbes quamplurimas variis inſidiis ac dolis cepiſſet, amicis dixit: Fœdera quidem violare præter cauſam impium eſt: cæterùm hoſtibus imponere, non modò juſtum eſt, ac laude dignum, verùm etiam & jucundum & lucroſum. Nec enim turpe putavit, dolis in illum uti, qui violato fœdere, perjurio fefelliſſet & Deos & homines. *Plut. in Lacon.*

Quidam apud Spartanos cum in luctandi genere, quod chirapſiam appellant, is qui collum alterius urgebat, fruſtra præterque legem palæſtre pulſaret undique, & in terram detraheret poſteaquàm corporis viribus deſtitueretur, qui inhærenti cedere cogebatur, brachium urgentis momordit; cumque alter diceret: Mordes, ò Lacon, fœminarum more? Non, inquit, ſed more leonum. Ita ſolerter objectam ignaviam detorſit in laudem fortitudinis. Nullum enim probrum apud illos deteſtabilius, quàm muliebris imbecillitas. Jure autem morſu liberavit, qui præter jus certaminis urgebatur à victo. *Plut. in Lacon.*

Cuidam conſulenti Agidem regem, ut hoſtibus fugientibus daret tranſitum: Et quomodo, inquit, pugnabimus cum his, qui ob fortitudinem manent, ſi non pugnamus cum fugientibus? Exiſtimabat vir animoſus, adversùs hoſtes nullam prætereundam occaſionem. *Plut. in apoph.*

Non parum ſolatii mortem inimici etiam cum gloria obitam adferre, paucis confirmabimus. Vita functo Rudolpho Imp. cùm ejus cadaver mirifico apparatu tumularetur, quidam Henrici IV. aſſentatores id haud æquo animo tulere, eò quòd vix umquam inter eum & Imperatorem conveniſſet. At Henricus: Sinite, inquit: Quàm velim omnes qui mihi adverſantur, hoc cultu faſtuque tumulari. *Ex Matt. Caſtrit. de heroic. virt. Princip. Beyerlink in Apophthegm. Chriſtianorum.*

Nec multùm diſſimili modo Carolus IX. G.R. conſpicabatur in furca ſuſpenſum Gaſparis Colignii perduellis cadaver; & comitatui fœtorem non ferenti, Hoſtis, inquiebat, mortui bonus eſt odor. *Ex annal. Franc. idem.*

☞ *Plura colligentur ex infraſcriptis hiſtoriis.*

HOSTES BENEVOLENTIA CONCILIARE. EX INIMICIS SOCIOS FACERE ET AMICOS.

PER QUOS. Nempe Per

Epiſcopos, Sacros homines.

Henricus Probus Uratislavienſium, dum Thomam ſecundum Epiſcopum ſede exturbaverat, & bona Eccleſiæ uſurpaverat, ſacerdotes omnes ejecerat. Diris devotus, Caſimirum ducem, qui exules ſuſceperat, Ratibonæ arcta premebat obſidione. Thomas collocutus cum ſuis, indignum eſſe dicens, exulum cauſa ita rem periclitari, induit pontificales veſtes, & cum ſacerdotibus urbe egreſſus, ad hoſtilia caſtra profectus eſt. Venientes à longè conſpicatus Henricus, attonitus, & quaſi numine afflatus, de pupilione exiliit: & obviam procurrens, ad pedes Epiſcopi ſeſe abjecit, & culpam ſupplex deprecatus eſt, auguſtius quiddam humana ſpecie in vultu Epiſcopi contemplatus. Benignè eum humo Epiſcopus attollit, amplexatur, & exoſculatur non ſine lacrymis: certamque veniam, ſi eum factorum pœniteat, pollicetur. Deinde in proximam ædiculam, divo Nicolao dedicatam, ingreſſi, ſemotis arbitris, inter ſe in gratiam redierunt: & Henricus, quæcunque Epiſcopo & Eccleſiis ademerat, reddidit cum fœnore. *Crom. l.10.*

Mulieres.

Romulo contra Sabinos pugnante, Sabinorum filiæ quæ raptæ fuerant, ex diverſis locis occurrere. Hæ per infeſta arma & cadavera cum clamore & ululatu tanquam fanaticæ ad viros & patres intulerunt ſe, partim infantes in ulnis geſtantes, partim crinibus reſolutis: omnes tamen blandiſſimis nominibus, hinc Sabinos, hinc Romanos appellantes. Confeſtim ſedaverunt utroſque, atque inter utranque aciem datus eſt iis locus. Jam ejulatus ab omnibus pariter perceptus eſt, ſpecieque commovit eos: multò maximè Herſiliæ oratio, quæ Hoſtilio nupſerat, in obſecrationem & precationem ex diſceptatione & querimonia deſinens. Itaque induciis factis, procedunt ad colloquium duces. Intereà mulieres ad parentes & fratres adducere viros liberoſque, reficere cibo & potu eos qui quærerent, ſaucios domum deportatos curare, oſtendere domui ſe præeſſe, quanta viri in ſe indulgentia eſſent, quantaque charitate & honore proſequerentur. Ita pax fit, ut quæ vellent mulieres, manerent apud eos, à quibus tenebantur, ab omni opere & obſequio præterquàm lanificio immunes: communem haberent Romani & Sabini urbem: Roma urbs à Romulo, Romani omnes Quirites à Tatii patria vocarentur: regnum ducibus domi militiæque conſociaretur. Locus, ubi fœdus ictum fuit, hodie quoque à coeundo Comitium vocatur. *Plut. in Romulo.*

Romani ad avertendam obſidionem urbis à Volſcis intentatam, Coriolanum per matrem Volumniam, & uxorem Veturiam flexerunt. *Val. Max. l. 5. c.4. Livius l. 2. Decad. 1. Polyænus l.8. Plut. in Coriolano.*

Legatos.

Cùm ad Lampſacenæ urbis excidium ſummo ſtudio Alexander ferretur, progreſſumque extra mœnia Anaximenem Lampſacenum præceptorem ſuum vidiſſet: quia manifeſtum erat futurum, ut preces ſuas iræ ejus opponeret, Non facturum ſe quod petiſſet, juravit. Tunc Anaximenes: Peto (inquit) ut Lampſacum diruas. Hæc velocitas ſagacitatis, oppidum vetuſta nobilitate inclytum exitio, cui deſtinatum erat, ſubtraxit. *Val. Max. l.7. c.3. Pauſ. & Suidas.*

Leo Byzantius, adjutor Platonis, Philippo contra Byzantium venienti occurrens: Dic age, inquit, Philippe, quæ te cauſa trahit oppugnatum noſtra mœnia? At ille: Amor, inquit, tuæ patriæ, qua ut potiar veni. Leo excipiens: Atqui, reſpondit, non inſtrumento bellico, ſed muſico amantibus eſt opus. Quo dicto ducem à Bello Byzantino avertit: cùm Demoſthenes multa ſuper hoc apud Athenienſes, Leo verò pauca apud Philippum verba feciſſet. *Philoſtratus.*

Megacles Meſſenius, ejus Meſſanæ quæ in Sicilia eſt, Agathocli Syracuſanorum tyranno in rebus omnibus adverſabatur, multoſque Sicilienſes contra eum concitabat, iis qui eum de medio ſuſtuliſſent, ampliſſima munera promittens. Agathocles irritatus, Meſſanam oppugnare parabat, miſſoque præcone, Megaclem à civibus expoſcebat. Megacles ultrò ſe ad tradendum tyranno obtulit, ſi legatus mitteretur. Decernentibus hæc Meſſeniis, accedens in caſtra Agathoclis: Ego verò, inquit, & legatus civitatis nomine venio, & moriturus. Sed antè de legatione cum amicis audias. Cùm Agathocles amicos convocaſſet, in horum conſeſſu Megacles patriæ jura percenſens, ad extremum inquit: Si ad exſcindendas Syracuſas expeditionem Meſſenii ſuſcepiſſent, utrum pro Syracuſiis, an pro Meſſeniis omnia faceres? Cum ad hanc interrogationem ſubrideret Agathocles, amici qui præſtò erant, eum hortabantur, legato verba facienti parceret. Ille depoſito bello, Megaclem ſalvum & incolumem domum remiſit, amicitiamque cum Meſſeniis fecit. *Polyæn. l.5.*

Anno Mauritii XIII. cùm Cajanus Avarum & Hunnorum & Sclavinorum rex Thraciam infeſtaret, Priſcus Mauricii dux, quum non poſſet armis frangere, oratione flexit Barbarum. Miſit enim Theodorum medicum, qui hac oratione eum compellavit: Audi Cajane, Seſoſtris rex Ægyptiorum illuſtris & felix, opibus clarus, & inexpugnabili potentia, plurimas & ingentes nationes ſervituti ſubigens, hoc encomio elatus, currum aureum pretioſiſſimis gemmis ornatum ſibi conſtruxit: cui inſidens, à quatuor regibus devictis plauſtra ſubeuntibus ſe trahi paſſus eſt. Hoc verò cùm ſæpiùs fieret, & celebri quodam feſtoque die, ex quatuor iſtis regibus unus oculis converſis continuò retropiſceret, & rotæ volubilitatem intueretur: Seſoſtriſque eum, cujus rei gratia tam frequenter oculos in rotam conjiceret, percontaretur? reſpondiſſe is fertur: Cum ſtupore admiror rotam, cùm eam inſtabili modo ferri, atque aliàs aliter volui, & nunc quidem ſublimia demittentem, rurſus demiſſa ſublimantem conſpicio. Seſoſtris porrò, ubi dictum id intellexiſſet, ſtatuit, ne illi poſthac currum traherent. His auditis, Cajanus ſubriſit, & reſpondit, ſe pacem facturum. *Paul. Diac. de Rebus Rom. l. 17. Niceph. libr. 18. cap.29.* At *Cedrenus* Soldano, qui ab Imp. Ludovico captus fuit Capuæ, hoc tribuit. Alio item loco Cyro Perſarum regi.

Ob Ferrariam occupatam Clemens V. Venetis aqua ignique interdixerat. Civitas Pontificis interdicto, cui ad tempus fuerat obnoxia, civis unius opera ſoluta eſt. Franciſcus Dandolus qui in Galliam ad eam culpam deprecandam publicè acceſſerat, etſi ſerò, ad Pontificis tamen conſpectum admiſſus, illuſtri exemplo privatæ pietatis in patriam, publicæ in religionem, catena ferrea collo injecta, ad ejus menſam tamdiu proſtratus jacuit, donec expugnata Clementis ira, ignominioſam notam patriæ ademerit: atque ex eo fuit illi poſtea Canis cognomen inter ſuos, quia ut canis ad pontificiam menſam projectus jacuiſſet. Nec fuit ingrata civitas, ſed data ſedulò opera eſt, ut is qui non multò prius in tam ignominioſo accubitu vulgi opinione conſpectus eſſet, cultus ſummi honoris inſignibus conſpiceretur. *Sabell. l.7. Enn.9. & Egnat. l. 7. c. 2. & l.3. c.3. & l.6. c. 2. & 4. Exempl.*

Captivos.

Galeacius Vicecomes victoriam de Turrianis, Joannis XXII. Pp. ac regis Neapolitani auxiliis inſtructis, adeptus quòd